Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Geo-hydrographia s. orbis terrarum descriptio - Cod. Ettenheim-Münster 111-116

Helvetia - Ettenheim-Münster 116

Cartier, Gallus

[S.l.], [18. Jahrh.]

Sectio II.

urn:nbn:de:bsz:31-111184

Visual Library

fuere, et Franciscanos et Moniales urbe pepulerunt, et ex Coenobio Franciscanorum Curiam Civilem seu Praetorium fecerunt, alterum in ludum litterarium converterunt. Insuper Urbs quinque adhuc alia fuerant Eulesia et in omnibus 26. altaria, quae furor Zwingliannus disjecit.

quam juntà Ms. Bavarum curavit Freherus, illud usque ad an. 768. perduxit.

Sectio II.

De Statibus Helvetiae Foederatis.

Status, qui reciproci tutamenti gratiâ cum Helvetiae Pagis seu Cantonibus foedere juncti sunt hi numerantur: Valesia; Rhatia seu Respublica Grisonum; Princeps et Abbas, nec non Urbs San-galensis; Episcopus Basileensis; Princeps Neocomensis; Respublica Genevensis; et Milhusium Urbs Alsatiae Superioris; de hac jam disseruimus, ubi de Alsatia nobis sermo fuit; Superest igitur, ut de caeteris hic agamus, quod distinctis subsectionibus exequimur.

Subsectio I.

De Valesiâ.

Valesia, Valesia, Walesia, olim Vallis Pelina, Penina, Pennina, seu Valinsa, item Regio Valinsa |: Walliser-Land, seu Wallis, Valais seu Vallais:| Regio est satis angusta, undique praeruptis altissimisque montibus, qui moenium loco ipsi sunt, eamque ab hostium incursibus tutam praestare videntur, circumdata, nec non secundum Rhodani fluminis, quod illam ab oriente in occidentem perfluit, cursum porrecta. Limites habet ad Septentrionem Pagum Bernensem; ad Orientem Furcam seu Furculam, item Bicornem Montem |: Ogabel-Berg:| sub quo Rhodanus scaturit, et qui illam ab Uriano Pago separat; ad Austrum Ducatum Mediolanensem et Vallem Augusta seu Ducatum Augustanum |: Das Thal, seu Herzogthum Aosta vel Agosta, le Val seu le Duché d'Aoste vel Aousta, Val di Aosta vel d'Osta:| et ad Occidentem Rhodanum, qui illam à Pago Bernensi, ut et ab Agro seu Ducatu Caballico |: Chablais:| distinguit. Longitudo ejus ab Oriente in Occidentem est 14. vel 16. Milliarium Germanicorum, Latitudo autem à Meridie ad Septentrionem est inaequalis, nullibi tamen ultra sex milliaria porrigitur.

In binas partes dividitur, scilicet in Superiorem, quae à fontibus Rhodani |: Rhone:| usque ad Morsiam |: Morge seu Morse:| fluvium, qui infra Sedunum in Rhodanum influit, porrigitur: cum olim Viberi et Sedeni populi,

incoluêre; et Inferiorem, à Morsia seu Morsa fluvio ad Agaunum, nunc Mauritianum [: St. Maurice :] Oppidum ac indè usque ad S. Gingum [: S. Gingo :] Agri Caballii Oppidum protensam; eam Veragri possederunt, quorum Situm Cæsar lib. 3 Comment. accuratè designat, dum Nantuates Veragros et Sedunos, qui Allobrogum* à Lacu Lemano et Rhodano usque ad Summas Alpes [: Siurculam scilicet :] regionem possidebant, ordine recenset. Plinius lib. 3. refert Inscriptionem in honorem Imperatoris Augusti factam, ubi Seviti in Alpibus populi, nempe Sedunii, Veragri et Nantuates notantur.

Hi Nantuates sive Antuates Allobrogibus confines orientalem Lacûs Lemani ripam occupabant; vicini quoque erant Veragris, qui Valesiam Inferiorem seu Inferiorem Vallem Penninam, quemadmodum Sedunii Superiorem ad Rhodani fontes usque incolebant. Vallis hæc ab Idolo Pennino seu Penno [: Peni :] quod ibi colebatur dicta est, non autem à Pœnis seu Carthaginensibus, qui illac transierunt duntaxat, nec substiterunt, quando Hannibal eorum Dux in Italiam perrexit; enimverò Titus Livius Decade III. ait: à transitu Pœnorum ullo Veragri incola jugi ejus non norunt nomen inditum, sed ab eo, quem in summo sacratum vertice Penninum montem appellant. Videtur verum hujus Idoli nomen Pennus à voce Celticâ Pen** non verò Penninus quæ adjectivum duntaxat est et non Substantivum". verum ~~quam~~ error hic communiter adeò invaluit, ut etiam Antiqui Scriptores Alpes et Vallem ab ipsis clausam Penninas voraverint. Nomen Vallis Pœnina legitur in antiqua Inscriptione apud Gruterum ubi sic exprimitur: Valle Pœnin; "vox Vallis" reperitur etiam apud Marium Aventicensem qui sæculo VI. vixit, nam cum in suo Chronico de Longobardorum irruptione in hanc regionem Indictione VII. idest, an. 574. fatâ disperit, Longobardi, inquit, in valle ingressi sunt; et superiùs Indictione XI. ait montem Tauretum in Vallensi territorio concidisse, necnon locum in illius pede situm unâum Incolis suis obruisse. Ab eo tempore vox Vallensis loco Veragri usurpata fuit, nec hujus ultimi nominis post Romani Imperii ~~ruin~~ in occidente casum amplius facta est mentio.

Quod ad Sedunos attinet, ipsorum Metropolis ad hanc usque diem illorum nomen retinuit, ac Sedunum vocatur. Fredegarius etiam sæculo VII. Sion-

* Allobroges antiqui Narbonensis in Galliâ provinciæ populi, qui à Valentiâ Delphinatûs urbe usque ad Lacum Lemanum regionem inter Rhodanum et Isaram fluvios incolebant. Isara [: Isere :] in Sabaudiâ et finibus Pedemontii oritur. Videtur esse Ptolomæi Tisera et Polybii Scoras. Galli flumen hoc Isar vocârunt "à voce Græca 15, quæ virtutem seu fortitudinem significat, quòd ipsius cursus fortis sit et velox.

** Pen vetus Celticum nomen, quod idem significat ac caput seu cacumen montis. Idolum, quod Galli in montium cacuminibus adorabant; unde factum ut Alpes Mons Penninus seu Appenninus vocata fuerint.

9 [: Sion :]

nensis Agri meminit.

"Julius Cæsar hos Alpinos populos subjugare tentavit, quò ex hac parte liber ipsi ex Italiâ et in Italiam transitus pateret; verum Sergio Galbæ, quem cum duodecim Legionibus et aliquot Equitum turmis illuc miserat, tantâ fortitudine restiterunt, ut re infecta viam relegere coactus fuerit. At postmodùm Augustus eos majori vi adortus sub suam redegit potestatem. Sub Romanorum jugo perstiterunt usque ad initium Sæculi V. tunc enim Burgundiones regionem hanc oppuperunt et vicèns erecto Regno suo junxerunt.

Sæculo VI. Franci illam Burgundionibus eripuerunt, penes quos mansit usque ad finem Sæculi IX.

Ubi Franci Burgundiæ Regnum adepti sunt, circà hujus Regionis et Tarantasiæ, id est circa provinciæ, quam Romani Alpes Grajas et Penninas vocabant, possessionem cum Longobardis altercati sunt. Sub Carolingis et Merovingis tamen Vallesia novi Burgundiæ Regni pars facta est.

Abdicato Carolo Crasso ~~Burgundiæ~~ Transjuranæ et Septentrionalis Burgundiæ populi an. 888. Rudolphum Conradi Comitis Parisiensis filium in Regem elegerunt, et Agaunii in S. Mauritii Monasterio publicè proclamârunt. Ipsius Successores regionem hanc quietè possederunt usque ad Rudolphum III. Sub quo Ministri, qui aliàs Comites nuncupabantur, et Episcopi se in Principes erexerunt, ac sibi commissis Dynastatibus provinciis absoluto summoque imperio dominari cœperunt, quam usurpationem sub Conrado Pacifico Rudolphi pigri patre jam ocuperant.

Imperatores Germani, qui memorato Rudolpho successerunt, Burgundiæ Transjuranæ regimen Zaringenibus Ducibus reliquerunt; hi cum Vallesiis variâ fortunâ bellârunt, quin tamen eos sub jugum adducere valuerint, ut qui semel adeptam libertatem suam mirâ fortitudine adversùs ipsos tuti sunt.

Igitur sub Imperatoribus Germanis utrinque Vallesiæ populi libertate æquali gavisi sunt; Successu autem temporis Superioris incolæ subditi facti sunt Episcopi Sedunensis, Inferioris verò populi Sæculo XI. sub Sabaudiæ Comitibus steterunt, tanquam Dominis seu, quod verisimilius est, tanquam Advocatis et Protectoribus ~~libris~~ ab Imperatore Conrado II. in persona Humberti Comitis an. 1035. constitutis; ex quo non obscurè colligitur, Vallesios etsi liberos populos tamen sub Imperio fuisse, ac, non secùs ac alii Germaniæ populi, Im-

peratores tanquam Supremos suos Dominos tunc temporis agnovisse. an. 1383. Vallesii Eduardum Episcopum Sedunensem expulerunt, quem Amadeus VII. Sabaudiæ Comes cum auxilio Bernatum denuò sedi suæ restituit. an. 1387. denuò simultates ipsis cum Humberto Episcopo fuêre, nemon 4000. Sabaudos, qui eidem succurrere volebant, profligârunt, tùm Episcopionum Sedunensium, qui magnæ regionis hujus parti dominabantur, autoritas imminuta est, ac Vallesia Senum Respublica facta fuit, ita tamen, ut Episcopis Sedunensibus ea relicta fuerit autoritas, qua velut provinciæ Principes suspicii valeant; cùm enim Sæculo XV. Superioris et Inferioris Vallesiæ populi de summo Imperio inter sese condeliter desertarent, tandem post varias irruptiones, prælia et devastationes Superiores Vallesii Inferioris insulas subjugavêre, illorumque regionem provinciam fecêre, cui unâ cum Episcopo suo, qui, ut jam annotavimus, velut Vallesiæ Princeps suspicitur, absoluto dominantur Imperio.

Vallesia Superior in septem partes distinguitur, quas Insulas Decanatus |: Zehnden :| vocant, ac haud ineptè Conventus dici possunt, Suntque Gomesianus |: Gomß seu Gamß :| Brigianus |: Brieg seu Brigg :| Vespianus |: Visp seu Visperach :| Raronius |: Raron vel Raron :| Leuianus |: Leuch :| Sidenianus |: Sidrod :| et Sedunensis |: Sion :| qui simul 30. vel, ut alii scribunt, 90. parœcias continent. Inferioris autem sex sunt Conventus seu Satrapiæ, quas ipsi Signa militaria |: Banner vel Panier :| nominant, eo quod singula propriis vexillis utantur, Suntque Contagius |: Gundrß vel Gontfry :| Ardonius |: Ardon vel Ardon :| Sadionius |: Sadion :| Intramontius |: Entremont :| Martiniacensis |: Martigny :| et Mauritianensis |: St. Maurib, S. Maurice :| In istis 24. vel, quod alii volunt, 34. parœcias continentur.

9 Sitten,

Etsi fortè in Helvetia nulla occurrat regio, quæ ita excelsis ac mediâ etiamnum æstate nive contectis montibus obsessa sit ac Vallesia, ipsa tamen sine ulla contradictione omnium Helvetiæ provinciarum calidissima est et fertilissima; placet hûc ea adjungere, quæ Josias Simlerus Descript. Vales. lib. i. hac de re scribit: "Insulæ ipsi, inquit, magno labore et singulari industriâ omnia loca, quæ culturam admittunt, exercere solent, multum autem

opere in aquis derivandis ponunt; etenim non tantum prata
et hortos, sed, quod in aliis regionibus insuetum est, vineas
quoque irrigare solent. Vini ea est copia et bonitas, ut
illud jumentis sarinariis per altissimos montes ab Helvetiis
et Lepontiis exportetur. Frumenti tantum habet, ut ali-
unde invecto non egeat, ac durat illic messis à Maje ad
octobrem usque mensem, dum in valibus depressioribus
et montibus frigidioribusque locis tardius, alibi citius fru-
menta maturescant. Ac saepè eodem die iter per montes
facientes in hyemem, et ver, et in ipsam messem inci-
dunt: in summis enim montibus nives et glaciem re-
perimus, in eorum depressioribus partibus parma pul-
cherrimè florent, et ad radices foenum colligitur, in
valle imâ frumenta jam matura secantur. Fructus
omnis fere generis illis non desunt, nam non tantùm
pira, poma, cerasaque diversi generis, prunaque item et
corna, et mora, et nuces juglandes, avellanae, pineae,
copiosè apud eos nascuntur, sed ficus quoque et amygda-
la, et malogranata apud Sedunos feliciter proveniunt,
neque tantum arboribus, sed omnis generis herbis et flo-
ribus cultissimos hortos habent, in quibus, praeter alia,
crocus praestans colitur, tantâ copiâ, ut in vicinas
regiones magno gentis lucro exportetur. In tantâ
florum copiâ apum plurima alvearia incolae habent,
ex quibus toto anno mel recens illis abundanter suppe-
tit. In montibus metalla sunt, plumbi, ferri,
aris, argenti: crystallus etiam ibidem in summis Al-
pibus partim è terrâ effoditur, partim ex praeruptis
rupibus, quibus immani solet, colligitur. Praeterà
lapidum seu carbonum bituminosorum magna est
apud Sedunos et Siderianos copia; qui non modo ad
ignis instar reliquorum carbonum, usum adhiben-
tur, sed et in calcem optimam convertuntur. Syl-
va abundant larice, ex qua cùm Agaricum inter pur-
gantia pharmaca celebre, tùm praestantissima re-
sina colligitur, qua therebinthina loco chirurgi utun-
tur: praeterea pinu, abiete, aliisque arboribus, quae
in Alpibus sunt frequentes. Cervis, capreis et apris
carent. Ursi, lupi, thoes, lynces, vulpes multi
sunt in hac regione: ferina reliqua verò tanta

"est abundantia, ut bubula instar, et nonnunquam vilio-
"ri pretio in macello vendatur: similiter Phasiani, perdices
"utriusque generis, otides, lagopodesque, et diversorum
"generum gallinæ sylvestres non pauciores quàm in Lepon-
"tiis et Rhetis capiuntur. In vallibus et montibus me-
"diis præstantissima pascua habent, ac magna bovum ar-
"menta alunt, quorum non exigua copia quotannis in
"Italiam abducitur. Ad Rhodanum equorum sunt pas-
"cua, porros alunt paucos, eósque aliunde emtos: muli
"etiam et asini illis non desunt: in mediis montium pas-
"uis sed ardris et quò boves ob loci asperitatem perveni-
"re non possunt, oves pascuntur: in sylvis verò quæ boum
"et ovium pascuis adjacent capræ nutriuntur. Itaque
"butyri et lactis et casei magna apud eos est abundan-
"tia. Rhodanus cùm aliorum piscium varia genera,
"tùm qui inter fluviatiles non postremam laudem ob-
"tinent, Truttas multas et ingentes 29. et 30. pondo
"alit. Calidæ quoque aquæ duobus locis scaturiunt,
"quas ad varios morbos Medici et magis etiam vulgus ho-
"minum commendat.

Homines hujus regionis sunt corpore firmo, et ad labores
apto, colore plerumque subfusco, ut qui se agro colendo
in sole quotidie exerceant: multis strumæ nascuntur,
quod plerique aquarum vitio tribuunt. Vestibus vulgò
ex crassa et rudi lana utuntur. Ædificia pleraque ex
ligno potissimum extructa sunt. In Oppidis tamen et ce-
lebrioribus viis, qui Oppidorum more constructi sunt, plu-
rimæ domus murata extant. Victus talis est, qui et
vestitui et habitationi, et hominibus rustico labori de-
ditis conveniat. Nobiliores tamen splendidè vesti-
untur, et argento auróque ornantur, nec minus in
victu omnibus delitiis abundant. Agriculturæ po-
tissimùm student, sed qui hyremam vallem incolunt,
Viberi, pastioni maximè operam dant, quòd regio ea-
rum frigidior neque vites ferat, neque tam felix fru-
mento sit ut altera: cæteri et vineas et frumentarios
agros colunt. Mercaturas non magnas faciunt,
sed res, quibus abundant, exportant, et necessarias do-
mum reportant. At vero omnes belliosi sunt et
amantes libertatis, itaque et frequentia bella pro
libertate gesserunt, horumque monumenta sinitæ

totâ regione Arces et murorum ruinæ visuntur. Litterarum Studia ab illis magni fiunt, itaque et nobiles homines suos liberos frequenter ad exteras gentes Studiorum causâ mittunt, et sæpè etiam tenuiores magnâ animi constantiâ, ne in summa quidem paupertate, et victu ostiatim emendicato litterarum Studia abjiciunt, sperantes sese, si aliquam eruditionem consequantur, domi et in Ecclesia et in republica honores et dignitates posse adipsci.

In Seminario Viennensi duo ex suorum ~~[illegible]~~ civium filiis, et totidem in Mediolanensi vi fundationis ab ipsis factæ continuò alunturr, ~~et~~ ubi Theologicis et Canonicis Studiis navant operam, iis absolutis Sacros Ordines suscipiunt, ac demùm in patriam revocati ad Parœchias, aut alia Officia Ecclesiastica promoventur. Hanc fundationem factam fuisse ajunt, quò nempè Vallesii semper penes se viros doctos haberent, qui populum suum in fide Catholica, quam fervidè tuentur, continerent ac firmarent, illamque adversùs Acatholicos defenderent.

Vallesii foedere conjuncti sunt Helvetiis, ac primùm sub Friderico II. Imperatore an. 1250. cum Bernatibus ~~nonnis~~ foedus ~~ab omnibus Decanis seu Conventibus initum est~~ in decennium fecerunt, nullumque hoc antiquius habent foedus. Multis deinde post annis bello inter ipsos et Wilhelmum Episcopum familia Raronia exorto, quinque Conventus foedus cum Lucernensibus Urianis et Subsylvanis ~~fecerunt~~, an. 1417. fecerunt, ut utrinque cives et quasi ejusdem regionis censerentur. An. 1448. cum Bernatibus novum foedus ab omnibus Decanis seu Conventibus initum est. Prius scilicet an. 1473. foedus et perpetua Societas sancita fuit inter Septem Conventus Vallesiæ Dominos et tres ante dictos Helvetiæ Pagos, et post biennium cum Bernatibus etiam perpetuum foedus sanciverunt, ut adversùs quosvis hostes sibi mutuo essent auxilio. An. 1529. ab omnibus Pagis seu Cantonibus in Helvetiorum foedus admissi fuère, cujus foederis instrumento hæc specialis clausula adjecta fuit, ut minimùm singulis 25. annis foedus hoc renovaretur. Denique an. 1533. 12. Decembris Episcopus et Respublica Vallensis foedus suum cum tribus Catholicis Pagis Lucernensi scilicet, Uriensi et Subsylvaniensi renovaverunt, cui reliqui quatuor nempe Suitien-

sis, Tugiensis, Friburgensis et Solodorensis accesserunt. Foedus istud quodammodò novum fuit, enimverò ex parte ~~Valesiorum~~ Helvetiorum omnes Catholici Pagi eidem accesserunt, ex parte Valesiorum autem omnes Septem Decimi seu Conventus una cum Episcopo suo, cum priori quinque duntaxat, scilicet Gomesianus, Brigianus, Vespianus, Sedunensis et Sidereanus subscripsissent: in tantum etiam novum fuit, quia praecipuè ad conservandam et tuendam Catholicam Religionem initum est; illud annis ~~1565~~ 1565. 1578. 1626. et 1646. denuò renovatum fuit. An. 1626. Episcopus Sedunensis eorum adduxit, ut omnes protestantes tàm indigenae quam extranei vel Catholicam Religionem amplecti, vel solum vetere deberent.

Respublica haec etiam cum Galliae Regibus foedera pangit, minimùm an. 1516. cum Francisco I. an. 1549. cum Henrico II. an. 1565. cum Carolo IX. Equidem in foederibus, quae Henricus IV. an. 1602. et Ludovicus XIV. an. 1658. et 1663. cum Helvetiis et Rhatis inierunt hujus Reipublicae mentio facta non est, nihilominus tamen semper habita fuit velut Gratia Regibus foederata; unde et in tractatibus Captii Cameracensis |: Chateau Cambresis:| et Verbinensi |: Vervins:| ut etiam in pace Badensi an. 1714. Imperatorem et Imperium inter foederatà nominatim comprehensa fuit.

get Regem Galliae

Iam à longo tempore in Vallesia ferox et inhumana consuetudo viguit, illos cives, quorum potentia cateris superata est, opprimendi. Matzam |: Matzen, La Masse:| vocant, Atheniensium Ostracismo* haud absimilem. Est autem Matza, inquit Simlerus, signum conspirationis, idque non unius formae; nam olim in gens tantùm clava lignea fuisse dicitur, huic clavum infigebant, quicunque voluissent conspirationis sui esse et publicas injurias ulcisci. Posteà Matzam fecêre lavam, quae aliquo modo humanam faciem referat, nonnunquam absque lava tantùm ex radicibus arboris conteritur, quas tamen ita artificiose connectunt et complicant, ut quandam imaginem faciei humanae eminus intuentibus repraesentet, hanc mili tari more pennis caponum et galorum gallinaceorum ornant, atque ad illius aedes deferunt, quem putant in Rempublicam peccasse, et quem injuriarum agunt; has illi, quibus aliorum bona diripere voluptati est, plerumque homines turbulenti, qui tumultibus gau-

* Ostracismus apud graecos in exilium relegationem significabat; apud Athenienses species erat quaedam tribunalis seu Judicii, vicinis spectabiliores Reipublicae suae viros, cùm nimis opulenti et potentes, necnon populi libertatibus periculosi videbantur, ad 10. vel 15. annos in exilium amandabantur. Nunquam tamen quisquam relegabatur nisi nomen ipsius ad minimum 6000. testis seu testulis inscrip-

dant, invadunt et occupant, quidquid invenerint abstulerunt et depradantur. Ac sæpè ingens hominum multitudo, non tam ad publicas injurias ulciscendas, et defendendam libertatem, quàm ad spem prædæ confluere solet. Fe-
runt Matzam hanc primùm inventam et usurpatam, cùm plebs duro imperio Wilhelmi Episcopi, et parentis illius Guiscardi Raronii premeretur, circà tempora Concilii Constantiensis, an. 1414. Nostra ætate communi incolarum consensu, Helvetiis præsertim auctoribus, Matza unus non quidem fortè prorsùs abolitus, sed tamen aliquo modo sepultus est. Periculum enim erat, ne, quod alienando factum fuerat, opulentis et innoxiis viris Matza à turbulentis et seditiosis hominibus adferretur, diripiendarum dumtaxat opum gratiâ. Itaque rectiùs statuerunt jure potiùs agendum esse, et in eos, qui rempublicam laserint legibus agendum potiùs, quàm barbaro et à Scythis mutuato tumultu puniendos.

Veragri sive Valeriani inferiores diu olim cum Sedunis et Viberis bella gesserunt, et tandem decentis civitatibus ab hinc annis victi eorum imperium, quod jam suprà recensuimus, subierunt: arces munitæ numero sedecim ab his destructæ sunt, quarum rudera hodie cernuntur, neque enim eàdem restituere licet, ne libertati eorum indè periculum creetur: itaque nunc Viberi et Sedunii Veragris imperant, et illis præfectos mittunt, qui jus dicant, et rempublicam administrent. Princeps verò tertius regionis est Episcopus Sedunensis, qui Comes et Præfectus Valeriæ nuncupatur: hunc suffragiis communibus deligunt Canonici Cathedralis Sedunensis, et Legati septem Decimarum Superioris Valeriæ. Proximum ab Episcopo locum tenet, quem illi regionis Dueum seu Capitaneum, et Galliè Baillif, vulgò Landrichter, nuncupant. Ad illum causæ civiles deferuntur: præest biennio, et ab Episcopo et Legatis Decimarum liberis suffragiis deligitur, ac deinde publica singulorum conventuum approbatione confirmatur. Singuli quoque conventus summum habent Magistratum, quem Gomesiani, Raronii, et Leucenses Majorem, cæteri Castellanum nominant: hic cum sui conventûs Senatu quævis causas etiam capitales judicat. Habent etiam Ammanos, quo nomine Helvetii quidam Pagi summum Magistratum appellant: sedhi apud Valerios sunt sub imperio Majorum. Ab omnibus et singulis conventibus ad Senatum

tum fuisset, atque etiam totidem vota seu suffragia in tectâ urnâ continerentur.

Valleria ~~provocare licet~~ |: Urb Landrichter :| provocare licet; hic more majorum quotannis bis convocatur Majo et Decembri mensibus, quo tempore ex singulis Pagis bini et nonnunquam terni Legati conveniunt Sedunii in Castro Majoria. Senatui interest Episcopus, Sententias rogat Balivus |: le Bailif :| ac ab his de republicâ consilia agunter, eligunter Gubernatores et qui publica officia administrant, ac summum jus dicitur, à quo ad aliud tribunal provocare haud licet. Valleii utuntur partim lingua Germanica, illi nempe, qui loca montosa habitant, partim Sabaudica, quam Romanam vocant, ii nilicet qui loca depressiora et vallas incolunt.

Hac de Valleriâ generatim, modò singulas ejus Decanas seu Conventus Insolas paragraphis breviter expendimus.

§. I.

De Septem Superioris Valleria Conventibus.

Jam supra meminimus Superiorem Valleriam olim Viberos sive Juberos et Sedunos incoluisse; ea postmodum in Decanas seu Conventus Septem distributa fuit, quorum duo Juntorcat, Gomerianus nempè et Brigianus Viberis attibuuntur, cæteri Sedunis. Singulos hic eo, quem supra recensuimus, ordine, breviter describimus. Igitur

1°. occurrit Conventus Gomerianus |: Gomb, Gomb, et Gamb :| à Furcâ monte et fontibus Rhodani secundum utramque illius ripam ab oriente in Occidentem ad 5. milliaria Germanica protenditur, ab Austro autem ad Aquilonem maxima ejus latitudo 4. milliaria non superat.

Juxta ad radices Furcæ intrà primum milliare à fontibus Rhodani vallis proxima incolitur ab his, qui mitiora montis hujus juga pecoribus suis depascuntur; ac duo illic viculi occurrunt, Rhudrewaßen unus, alter Obrwald, id est, Superior Sylva, vernaculâ linguâ diti. Inde ad Meridiem medioris valis inter montes se aperit, quam Agaranam |: Agrontfal sive Agrontfal :| vocant, hic Elmius fluvius in Rhodanum influit. Vallis hæc olim paruit Nobilibus de Anna, ubi merum mixtumque habuerunt imperium, sed opibus eorum imminutis, jura sua et privilegia incolis vendiderunt, quibus illi nunquam fruuntur, et sibi proprios Judices eligunt ac confirmant, quos Ammanns dicunt.

q. Inferior Sylva et

Lacuâ deinde gallicâ ab Elmii in Rhodanum influxu et ad radices Grimsla |: Grimsel, Grimselberg, Grimsenberg :| montis, qui continuus est Furcæ pars et Crystalli dives, pagus occurrit

Castellio |: Grystirlon :| dictus Ecclesiam habens parochialem. Duobus infrà idem passuum millibus ad eandem Rhodani ripam alter pagus jacet Ulrica |: Ulrichen, Ulrique :| nomine, juxtà quem olim Berhtoldus Daringia Dux à Valesianis prælio victus fuit, et decentis ferè post annis alteis ibidem cum Bernatibus feliciter pugnatum est. In utrinque prælii memoriam eodem loco cruces ligneæ ab incolis erectæ fuerunt an. 1419. quæ adhuc extant.

Infrà Ulricam itinere horæ unius in amoenissimis pratis, qualia via alibi invenimus, ad dexteram Rhodani situs est satis elegans vicus Monasterium |: Münster :| nuncupatus. Ad laevam Rhodani fermè è regione Ulricæ, quondam Sanctimonialium erat Cœnobium, quod nunc ob loci asperitatem, et annonæ inopiam desertum est.

Versus meridiem inter montes vallis Eginia seu Egina per milliare Germanicum extenditur, è qua duo itinera ad Insubres patent, unum per montem Nicium |: Nicy :| in vallem Lepontinam, Præfecturam Bilitionensem ꝓ, alterum per Griesum |: Griesps :| montem in Antigoriam vallem Bormatum |: Bormatt :| ducit. Hujus montis nomen quondam videtur novisse, ut Alpes Grajas* apud Sedunos ponerent.

* Alpes Grajæ seu Graeæ; hoc nomine olim venerunt Alpes quæ Pedemontium à Sabaudia separant, quæ nunc S. Bernardi mons dicuntur; fortè idem est ac mons grajus, cujus meminit Tacitus Hist. IV. 68. ajunt Hercules olim montem hunc superasse, quemadmodum Hannibal Carthaginenses suos per alterum montem Alpes Penninas dictum traduxit.

Ad Rhodani Septentrionalis ripam vici complures in campis amœnis et fertilissimis consistunt Reizingium |: Reisingen :| Glurina |: Gluriam :| Ritzicium |: Ritzichen, seu Ritzig :| Biela |: Biel :| Walda |: Wald :| qui omnes fluviolis quibus-dam rigantur. Hi omnes vici olim Comitatus erant, qui Graniola |: Graniols :| nuncupabatur; verùm incola jam à multis sæculis ab omni peculiari dominatu sunt liberi, nisi quod legibus et statutis Vallesianorum teneantur, habent tamen proprios Judices in causis civilibus, cæterum criminales causas Gomesiana Dominia |: cui attribuuntur :| Judex Arona cognovit.

Proximè hos vicos ponte lapideo Rhodanus transitur, ac ab eo latere est vicus, quem Mulibachum |: Müflbach :| quasi Molarum rivum, dicunt, patria Matthæi Cardinalis Sedunensis obscuris parentibus nati, quem doctrina, quam sibi magno studio comparaverat, industria et rerum agendarum summa peritia ad Episcopatus et Cardinalatus dignitatem evexerunt. Is Gallorum perpetuus et infensissimus hostis totus Maximiliani I. Imperatoris fuit, nemon Maximiliani Sfortiæ Ducis Mediolanensis partes adversus ipsos tuendas suscepit sub initium sæculi XVI. Habuit Mulibachum nobiles ejusdem nominis, quorum familia interiit.

Ad dexteram Rhodani ripam, ubi Binna |: Binn :| flu-

rius eidem miscetur extat Arna |: Arnon, Aragno :| Vicus ingens et Gomesianorum Caput, ~~[illegible]~~ duobus milliaribus Germanicis versus Africum à Monasterio |: Münster :| Aedificia habet non inelegantia, et quasdam domus muratas et lapide fissili tectas. Hic Gomesiani Curiam habent, et causas capitales cognoscunt. Arnâ oriundus fuit Waltherus Superaxo Episcopus, qui Veragros haetenus à Sabaudo Episcopatui ademptos an. 1475. recuperavit. Fluvius Binna, qui, ut diximus, infrà Arnam Rhodano miscetur, Gomesianorum hac parte limes est.

È regione Arnæ ad dexteram Rhodani ripam, ubi is ponte jungitur, vicus est Viescha |: Visp :| cum valle ejusdem nominis 6000. passuum longitudine, per quam etiam fluviolus è glacie inveterata emergens Rhodanum influit. Juxtà illum coenobium quondam fuit Sacrarum Virginum, nunc Desertum: reditus ejus à Matthaeo Cardinali Arnensi Ecclesiae attributi sunt. Inferius ad alterum Rhodani pontem viculus est Laxa nomine, Gomesianorum terminus ab altera fluminis parte. Infrà vicum hunc montibus in unum penè coëuntibus vallis admodum coartatur, ac tantùm angustæ fauces Rhodano defluenti relictæ sunt: Tùm oriuntur mons, qui à Septentrione ad Rhodanum usque pervenit, Germanicè Aust Triff dictus, et Gomesianos à Morgianis dividit; regionemque non ita magna ab hoc monte ad Massam |: Mass :| fluvium Morgiana vocatur: hæc propriam jurisdictionem et merum imperium habet, attamen attributa est Conventui Haronio, ejusque pars tertia censetur.

Duo sunt hujus regionis celebriores vici: Graniola |: Graniol :| quæ ad sinistram fluminis jacet in rupe celsâ propè fauces Bynnia vallis, ac ponte unico fornice ab una rupe ad alteram ducto, tanta est vallis angustia, hinc Laxam itur. Habuit autem olim Graniola peculiares Dominos, qui fortè iidem cum Morgianis fuerunt; his, ut supra diximus, paruerunt vici aliquot, qui adhuc nomen Graniolani Comitatus servant. Morgia |: Morel :| alter vicus à quo regio hæc nomen habet, ad dexteram Rhodani in medio regionis situs est duarum horarum itinere ad caurum ab Arna. Supra Morgiam ad Rhodanum prata sunt et parva amoena, et non pauca domus, similiter in vicino monte quidam occurrunt viculi, ac supra hos altissimus mons a S. Antonio nomen habens. Apud Morgianos primùm vites proveniunt,

nam Gomeriana regio propter frigus nullas fert: Morgiana tamen vina acerbiora sunt, neque regio hac parte inferioribus locis Baroniis, Sedunis, et Veragris conferi potest.

Juxtà Morgiam versùs septentrionem, in altissima petra quondam arx fuit Mangapana Baronum Morgianorum sedes: hos in insulas tyrannidem exercentes Petrus Sabaudiæ Comes, insolis juvantibus, bello aggressus vicit, arcémque eorum destruxit, cujus nunc exigua ruinæ superunt. Verisimile est Barones Morgianos familiæ Baroniana, de qua post dicemus, affinitate aut propinquitate aliqua conjunctos, atque hos eorum heredes fuisse, ideoque nunc Baronia Jeuuna Morgianos adnumerari. In eadem regione etiam Dirreberga arx fuit, quæ fortè eodem tempore diruta est: mons adhuc Arcis nomen servat.

Masa fluvius, qui Morgianos à Brigianis dividit, ex Aletschianis montibus oritur, et per ejusdem nominis vallem fluit, æstate liquescentibus nivibus excrescit, et turbidus ac impetuosus fertur, sicut omnes fermè hujus regionis fluvii, ita ut vado transiri commodè non possit, verùm ponte lapideo propè exitum jungitur.

2°. Conventus Brigianus ab insignioribus pagis Brigâ, Naters et Glisâ |: Brig. seu Boirg, Natters, et Glysß :| nomen habet, frequentius tamen à priore denominatur. Cæterùm quàm populosus et frequens sit, indè colligitur, quòd an. 1465. peste per Vallesiam grassante, ex eo supra mille, et quadriennio post 1400. homines perierint.

Natera vicus milliari non magno versus orientem à Morgia distat ad dexteram Rhodani ripam loco saxoso non tamen sterili, ædificia pleraque lapidea habet. Propè idem in edita rupe arx munitissima visitur, quæ à Saxo seu rupe nomen habet, domus quondam Dominorum à Saxo. Episcopo nunc paret.

Extat etiam supra Nateras non longè à ponte Massa fluminis turris quædam in colle unacum ruinis veteris Arcis Wingarta, quam Nobiles olim, quorum familia jam dudum periit, inhabitarunt. Sunt quoque à Septentrione Naters conjuncti viculi quidam in montibus, et Ecclesia, quæ à loco Montana dicitur.

Infrà Nateras pons lapideus duobus egregii operis fornicibus utrumque Rhodani ripam jungit, qui

eo loco tanto impetu per saxa magno cum sonitu ruit, ut mirum videatur fundamenta aliqua pontis in tanta fluminis rapiditate jacii potuisse. Casa est ad hunc pontem Princeps seu, ut vocant, Comitissa Vespianorum cum filio an. 1365.

Ad sinistram fluminis ripam ex adverso Naterarum Briga posita est, et paulò infra hanc Glisa, ita ut tres hi vici triangulum fere aequilaterum constituant.

Briga à Viberis nomen habet, quasi dicatur Viberiga, seu Viberius vicus. Situs est ad Saltinam fluvium in oppidi morem extructus, cateris Vallesianorum viis elegantior et amoenior: ab Ortu et Meridie montes passui imminent multis vicuis inhabitati, et proximè Brigam vetustae domus ruderа apparent, vulgus locum Höll, quasi Tartarum aut Inferos nominat. Brigae Jesuitae habent Collegium.

Saltina fluvius oritur in monte Sempronio*, et per vallem ejusdem cum monte nominis duo milliaria Helvetica et amplius fluit, ac paulò infrà Brigam Rhodanum intrat. Brigiani huic fluvio pontem lapideum tribus fornicibus instructum [: nam nivibus solutis latè inundat :] imposuêre. Per montem Semponium, quem quidam Scipionis montem appellant, ad Leontios transalpinos iter est, et vetus oppidum Oscelam. Tradunt quidam Caesarem per has alpes contrà Helvetios exercitum duxisse, ejusque rei memoriam cotibus inscripsisse, in quibus adhuc conantur quaedam litterarum vestigia. In ipsa Semproniâ valle Brigiani magnâ copiam utriusque pecoris alunt.

Leuâ Gallicâ infrà Brigam calidarum aquarum fons mediis in campis scaturit: Aquas Brigianas vel Vibericas vocant: locus ipse amoenus et planus est, cui à septentrione montes altissimi, et quorum praerupta rupes recta in altum consurgunt, imminent. Harum calidarum aquarum fons ex imis rupibus scaturit. Juxtà illas ex eadem petra frigidissima aqua rivulus manat. Balneae sulfureae sunt, ac plagas, corrosiones, ulcera et scabiem sanant: medentur etiam spasmo, tremori, catarrho: tollunt tinnitum aurium, et sterilitatem foeminarum abolere creduntur. Aquae hae etiam Glisanae [: Glüs for Bad:] vocantur, quod à Glisa nec procul distent.

Glisa oppidum seu vicus exiguus, sed aedificiis optimè exultus, loco amoenissimo ad sinistram Saltinae fluvii situs mille circiter passuum itinere ad occidentem à Briga.

Templum hic est B. V. Mariae, ad quod ex tota valle multi mortales religionis ergò confluere et dona afferre solent.

* Sempronius mons, vel ut alii vocant, Scipionis mons; ab aliquibus etiam dicitur Mons Brigamus à vico Briga. à Vallesiis simpler nuncupatur, et ab Italis Sempronio. Per eum patet via à Valesia in Ducatum Mediolanensem.

Hic natus est Georgius Supersaxus |: Georg auf der Flüe :| vir animo et corpore ingenti, Italicis bellis magnas opes et bellicæ virtutis eximiam gloriam consecutus, summam sibi auctoritatem et potentiam domi comparavit, et Gallicas partes sectus contrà Matthæum Sedunensem Episcopum et Cardinalem graves inimicitias exercuit. atque cùm opera hujus Cardinalis Romæ captus, et in mole Adriani carcere inclusus, beneficio Francisci Galliarum Regis liberatus fuisset, in patriam reversus Cardinalem Valesiâ expulit; sed tandem ipse in exilium pulsus an. 1529. Viviaci |: Vevay :| ad Lacum Lemanum obiit. ajunt illum ex una eademque conjuge viginti tres soboles suscepisse, duodecim filios et undecim filias.

Non longè infrà Glisam murus à Rhodano ad excurrentia juga proximorum montium ductus est; idem ad arcendam hostium vim quondam extructum fuisse turres et propugnacula produnt, à quibus autem et quando hoc factum sit, ignoratur. quidam Romanorum opus censent, eosque, cùm per Sempronium montem adversus Gallos exercitum ducerent, eorum hunc munisse, alii existimant Viberos hujus munitionis auctores esse, qui contrà Sedunorum irruptiones eandem extruxerint; nam hic terminus Viberorum fuisse ~~arbitrantur~~ dicitur, undè et Pagus in monte supra Vespiam positus à Sedunis Termina appellatur. in Sedunis ò multi Nobiles olim habitarunt, scilicet Vispii, Raronii, Turriani, Lancii, Siderii, Gradenii, aliique plures, quorum diuturna arces passim visuntur, hos cum Dicinis assidua bella gessisse, dum fines proferre studerent, verisimile est. Verùm posteaquam eodem imperio utrique populi reguntur, et disjectis arcibus libertate fruuntur, hic murus neglectui habetur, multisque in locis vetustate fatiscit. Non procul ab hoc muro Gamsa fluvius ex Alpibus Vespianorum ortus in Rhodanum evolvitur.

3°. Conventus Vespianus |: Hyfbach, Uyfbach :| Sub Glisa incipit, ad quem pertinent proxima Alpes versus Meridiem et amycta in his valles Saxia |: Saxer-Thal :| et Mattia |: Matter-Thal :| per has duo fluvii ex Alpibus descendunt, qui propè Staldam pagum in unum confluunt, et ambo Vispa seu Vispii nomen habent, Germanicè Hyfbach, quod piscuentum rivum significat: ab hoc fluvio præcipuus pagus Vespia

|: Visp, seu Visp, Visbach, Vispach :| de quo mox loquemur, et totus hic Conventus nomen accepit. Prior fluvius in Valle Saxia |: Saxthal = Thal :| duobus fontibus oritur, quorum orientalior est in monte Antrnaio supra Almengallum, alter in monte Mattia, quem Seduni Foa Itali Maggia nam montem vocant. Inter hos fontes Saxia pagus positus est, unde valli nomen. In monte autem qui ad Brigianos vergit, Termina pagus occurrit: alter deinde mons pascuus inter Saxiam et Mattiam Valles positus Grenchiam pagum habet, huic vicinus est Rietbergus mons optimis pascuis abundans. Alter è monte Sylvio*, à quo Mattia Vallis incipit, et ubi colles sunt Trinila, Arcleita, et Monta, descendit 35000. passuum supra Vespiam pagum. Juxta hunc fluvium in superna valle est pagus Matta, quatuor milliaribus supra Vespiam: infra hunc milliari uno Vallis alia ad latus dextrum montibus se insinuat, quæ à proximo pago Dasa aut Tasta vocatur: pari ab hoc spatio ditat pagus Gasa, propè quem crystalli pulcherrimæ ex alpibus effodiuntur. ab hoc pago inferior Vallis pars nomen accipit. Milliari uno infra Gasam bini memorati fluvii prope vicum Staldam, quod jam supra memoravimus, confluunt ac deinde sub uno Vispæ seu Vispii nomine sex milliaria passuum infra eundem sub Vespiano vico in Rhodanum influunt.

* per Sylvium montem iter est ad Salassos et Aiaganvallem, vulgò Aramorthal ditam, quod illius incolæ per varias regiones oberant, viæres diversi generis circumferentes: hæ via per glaciem inveteratam aliquot passuum millibus iter faciendum est.

Igitur super confluentes Vispæ et Rhodani Vespia 4 vicus habitatur, Caput tertii Vallesianorum Conventus. Duo hic templa S. Martino unum, et alterum D. Virgini extructa sunt. Supra pagum quondam Arx fuit, quæ unàcum pago propter amœnitatem Arx pulchra |: Hübschburg :| appellata fuit; posteà veteri appellatione abolitâ à Vispa fluvio nomen accepit: hic etiam aliquot domus voluptariæ numerantur.

4 |: Visp, Visp, Visbach, Vispach :|

Hoc loco quondam sedem habuerunt Vespiani Comites magna apud Seduncos auctoritatis et potentiæ: horum familiâ extinctâ Blandræ Comites illorum hereditatem adiere: ex hac familiâ Blandranâ Vespianorum Comitissa cum filio Antonio ad pontem Rhodani et prope Naters an. 1365. cæsa est; causa et author cædis ignorantur. ~~[illegible]~~ Arx Vespiana deinde à Petro Sabaudiæ Comite capta et diruta est, fortè eodem bello, quo Mangapaniam Arcem ab eodem diruta supra scripsimus. Vespia Amadeus Sabaudiæ Comes à Gomesianis, Brigianis, et Vespianis

prælio victus ad quatuor millia hominum amisit. Habitarunt quondam Vespiæ nobiles familiæ Ulrizorum, item Sillinorum, Hengartiorum, seu à Platea, et Werriorum, quæ adhuc florent. Neque hi tantùm, sed quamplurimi alii Nobiles Vespiæ olim Sedem habuerunt, ita, ut asserant omnes ferè nobilissimas totius Valeniæ familias Vespiâ ortas esse: ac tanta olim Nobilium eo loco frequentia fuit, et is fastus, ut haberent proprium Templum, quo à plebejis discernerentur, cum quibus eisdem sacris ædibus uti, dedecori sibi putabant?

4.o Conventus Raronius |: Raron sive Raron:| Brigiano occidentalis est ac à dexterâ Rhodani ripâ ad fines usque Bernensis regionis versus aquilonem porrigitur. q sinistrâ et

In eo præcipuè occurrit Raronia |: Raron sive Raron:| Oppidum elegans ad dexterum Rhodani ripam situm milliari germanico versus occidentem à Naters. Duo Templa habet SS. Romani in edita petra supra Oppidum, alterum S. Germani extrà Oppidum in plano extructum. q unum

Juntà S. Romani Ecclesiam in eadem rupe turris et ruinæ arcis Raroniæ visuntur, quæ Sedes et domus natalis fuit Raroniorum Baronum veteris et nobilissimæ familiæ. Ex iis ante quadringentos, et quod excurrit, annos Petrus Sedunorum Episcopus fuit; eundem Episcopatum ex eadem familia tenuerunt Wilhelmus II. et post Wilhelmus III. Guiscardi Raronii hi filius fuit, alter frater. Verùm bello Raronios inter et Valesios orto, quod ab an. 1415. usque ad an. 1419. duravit, sedes eorum et arces diruta sunt: pace autem factâ Raronii nihilominus extra Valesiam manere, quod nolent inconstanti plebis voluntati demos salutem suam cum vitæ periculo committere.

Petrus aut potius Petromannus Raronius suæ stirpis ultimus matre è Doggenburgensium Comitum familiâ natus post Friderici Comitis postremi obitum Comitatum Doggenburgensem hereditatis titulo adeptus est, quem deinde an. 1469. Ulderico Abbati S. Galli vendidit, ipseque an. 1479. in Monasterio Rutensi |: Rüti:| Pagi Tiguriní mortuus et sepultus est. Idem nonnulli Guiscardi filium et Wilhelmi III. fratrem fuisse arbitrantur, est autem ultimus, cujus in domestiis historiis fit mentio.

Reliquit Petromannus hic heredem unicam filiam quæ nupsit nobili viro Allobrogi à Tarentasia Humberto à Villeta Baroni Chivronis, qui Sedem suam in Valesiam

transtulit; huic natus est unicus filius Joannes Baro Chiovonis |: Chiovoni :| et Baronia Vicedominus Sedunensis; hic uxorem duxit Bernettam unicam filiam Berrodi de Bastia Domini Sirii; itaque juncta sunt tria dominia, Baronia scilicet, Chiovonis, et Sirii. §. ~~Ortiata horum Baronia Brunnenburg Lapia, Baronia ad Esperlingorum arbiter et extrema fuit, quam per vitam, ceterum bello exortointer Waltherum Episcopum Sedunensem et Rudolphum Esperlingium propter Enfischia Valdis possessionem, Rudolphus quod Salandos evocasset, illis an. 1475 propè Sedunum victis, patriâ cum omni familiâ pulsus fuit.~~

Porrò in eisdem locis Baronia Dominia Esperlingiorum magna potentia extitit, præsertim ubi Baronii eâ cæssissent; fuit hæc vetus et nobilis familia. Verùm bello exorto inter Waltherum Episcopum Sedunensem et Rudolphum Esperlingium propter Enfischia Valdis possessionem, Rudolphus, quòd Salandos evocasset, illis an. 1475. propè Sedunum victis, patriâ cum omni familiâ pulsus fuit.

À Baronia versus meridiem ultrà Rhodanum inter Vespiam et Thurtmannum pagum montes parvi sunt, in quibus villæ complures, et ignobiles viculi numerantur, qui Baronii parent. Eodem loco est Vallis Eischolia in qua olim argenti fodina. Ab eadem fluminis parte Gestila vicus est, quem Castellionem inferiorem appellant; et propè hunc Turriana Arcis ruina. Turriana familia olim in Valesiis potens, et hanc Arcem et proximam Vallem Letschianam, item Ajentum propè Sedunum, et Contegium Oppidum in Veragris possedit: præterea in Helvetiis ~~Laupa urbs Frutingia vallis~~ et regione Bernensi Laupa urbs, et Frutingia Vallis eidem pareruut. Verum posteaquam Antonius Turrianus Episcopum Sedunensem Episcopum per insidias crudelissimè trucidasset, Turriani bodovieti et bonis exuti sunt, eorumque Arx Turriana et cæteræ munitiones diruta sunt.

Lunitza fluvius ex altissimis montibus supra Baroniam ortus infra Gestilam Rhodano miscetur, hic finis est Baroniæ Dominiæ seu Conventus.

Eodem loco vallis Letschia Valdis |: Lötschthal :| versus Septentrionem inter altissimos montes viculos compluves habet, et plumbi metalla. Per hanc Vallem et Letschium montem iter periculosum, et in quo multi perierunt, duit ad Helvetios in vallem Frutingiam.

§. Conventus Leuciamus |: Leuchner-Zehenten :| Baronium sequitur. Vallis est ad Rhodani lævam Gemmio monte |: Gemmi-Berg :| altissimo, et cœlum penè tangenti-

bus jugis undique septa, unico tantùm aditu relicto. Notatur hic

1°. Lenca sive Lenia [: Louch sive Lough :] amplum oppidum et Caput Conventûs seu Vallis, cui nomen tribuit. Situm est ad dexteram Rhodani ripam milliari Helveticis versus occidentem à Raronia, loco natura admodùm munito: à meridie enim Rhodano, ab occasu Dala fluvio ex Gemmio monte adfluente cingitur, uterque transitu difficillimus ponte jungitur, cui Castellum super impositum viam munit; à Septentrione præcipito monte clauditur, ad ortum verò angustæ fauces inter montes et Rhodanum iter angustum Raroniam versus relinquunt. Raronii Barones Castellum quoddam in hoc oppido olim habuêre, id bello Raronio diutum est, ut et Arx Episcopi Sedunensis, quæ tamen postmodum restituta nunc quoque durat.

Lenia plerumque Comitia eligendis Magistratibus, et cognoscendis controversiis ab Episcopo et Legatis Septem Decumanum celebrantur, quòd locus in medio regionis situs commodissimus videatur. Ibidem ad sinistrum Rhodani littus ~~extat~~ magna portiens extat, in qua merces, quæ per Alpes in Italiam vehuntur, deponi solent. Ibidem vasta quædam est vorago, quam torrentes, qui in Rhodanum evolvuntur, effecêre, et hoc loco Leniam quondam sitam fuisse tradunt.

Propè Leniam campus est, qui à gemitu nomen habet, ac gemens pratum [: Pünstz= sive die Pünstz=matten :] nominatur à prælio, quod an. 1318. ibidem Barones de Wadisvilla [: Wädischwil, et Wisenburgo [: Weissenburg :] Sibenæ vallis [: Sibentthal :] in Pratu Bernensi Dominos inter ac Vallesios initum fuit, in quo Barones iti unanum suis ferè omnibus trucidati fuerunt.

2°. Sex passuum millibus versus aquilonem à Lenia qui valle inter amœnissima prata emerunt Thermæ totâ Helvetiâ celebratæ, et adeo fervidæ, ut gallinam immissam deplument ac ova exoquant. Ipsarum aqua plerumque pura, limpidáque est, sed interdiu crebro colorem mutat, odore caret, nec, ut plerum calidæ solent, sulphur redolet; cupri et æris mixturâ potissimum constare creditur; medetur morbis frigidis et humidis, calefacit, exsicat, abstergit resol- q sub monte Gemmio

vit, et constringit. Podagram mitigat; Stomachum languentem roborat, et appetitum excitat; hepar, pulmones, splenem juvare creditur; oculis lippientibus et obtusis, spasmo, catarrho, medetur; hydropicis et calculosis prodesse dicitur; uterum in mulieribus debilitatum confirmat, et solvit alvum bibentium; denique inveteratas et ulcerosas cruvium plagas et cicatrices vivis malè sanatas aperit et perfectè curat.

His aquis utuntur non solùm indigenæ Vallesii, sed vicini quoque Allobroges et Helvetii, quorum major frequentia esset, nisi per Gemmium |: Gemmin :| montem via præceps, angusta, et lubrica multos domi teneret. Ea namque est altitudo et asperitas hujus ~~itineris~~ montis, ut non malè à genitre Gemmium nominatum quidam putent, quòd ~~transitori~~ illum transitori sæpè ob laboris et periculi magnitudinem suspirent et ingemiscant. Vicini tamen montibus assueti frequentissimè per hunc montem Bernam eunt, sed æstate tantùm, hyeme enim est impervius.

3°. Quatuor millia ferè passuum seu Milliari germanici communi infrà Lemiam Salges vicus est, cum Ecclesiâ S. Joannis, et Equitum Melitensium æde, cujus auctor ignoratur.

Lemia regionis idioma mutatur; supra Oppidum istud in universa superiore Vallesia omnes germanicè loquuntur, infra illud verò ac in reliqua regione lingua Gallica est in usu: in ipsis tamen vicis celebrioribus Lemiâ nempe, Sideris, et Sedruno paulo lautiores utramque loquuntur, imò in utraque Vallesia parte præsertim in locis nobilioribus inola toti in id incumbunt, ut germanicam, Gallicam, Italicam et Latinam linguas calleant, et, quod gentem hanc haud vulgariter commendat, multi à plebe offenduntur, qui has quatuor linguas perfectè loquuntur. Agreste vulgus tamen infrà Lemiam barbara è gallico corruptâ linguâ utitur ~~tantt~~ gallus nec eam intelligat.

6°. Conventus Sidericus |: Sidrob-Z-fontn :| Lemiano ad occidentem jungitur; vallis est, montibus utrinque longiùs à Rhodano recedentibus, latiùs aperta et soli magis exposita. cùm vitibus abundat, tùm etiam fructuum copia superiores Vallesiæ Conventus longè superat.

occurrit hic 1°. Sidera |: Sidro :| oppidum seu vicus

sexentis circiter passibus versus Aquilonem à Rhodano remotus, Caput Conventûs, et à quo ipse nomen habet.

Equidem ædificiorum elegantiâ et viarum munditie plerisque, quos ante numeravimus, pagis inferior est, sed eisdem soli fœcunditate longè præstans.

In eo visitur Ecclesia S. Catharinæ, et Arx non inelegans Hungartiorum, qui fortunarum suarum sedem Vespiâ hue transtulerunt.

Versus Septentrionem pagi Siderianorum sunt Mulatum cum S. Sebastiani Templo. Villa, et Lagesum cum Templo S. Mauritii.

Inter Rhodanum et Sideras Aymo Turrianus Episcopus Sedunensis cœnobium pro Carthusianis an. 1330. exitavit. at regione assiduis bellis vexatâ, exhaustis Cœnobii opibus, hujus familiæ Patres alias sedes quærere coacti sunt: in eorum locum ex voluntate Episcoporum successerunt Carmelitæ, qui mendicato viventes commodius hic habitare voluerunt. Propè cœnobium istud in quodam tumulo Arx Sideriana, Episcoporum sedes, quondam erat, quæ in bello Raronis ab incolis incensa conflagravit: murorum reliquiæ magnam et elegantem fuisse declarant.

Sesquihoræ itinere à Sideris versus Africum ad ripam Rhodani occurrit Gradecium |: Gradetz sive Gradetsch :| quondam Oppidum, nunc dejectis mœnibus in Vici formam redactum: servat tamen quadam adhuc Oppidi jura, et Nobilibus Tavellis Gradeciavis paret. Supra hunc vicum in ripa tres Arces erant mœnibus oppidi comprehensæ, eas bello Turriano incolæ vastaverunt et deleverunt; nunc murorum reliquiæ duntaxat supersunt.

Supra Gradecium ad Septentrionem est Lensa Vicus et Ecclesia S. Petri: mons vicinus à Vico nomen habet. Infra Gradecium occurrit Ecclesia et Vicus S. Leonardi via Sedunensi; et juxta hunc fluvius è monte Ravinio, quà in Simmiam vallem transitur, fluens Siderianos à Sedunis hoc loco dirimit. Bello Turriano juxtà S. Leonhardi Vicum ingenti prælio Turriani victi sunt an. 1375.

Ad alteram seu sinistram Rhodani ripam ex adverso Sideranum vabis est Enfischia |: Enfischtal :| duorum milliarum longitudine. Præstantibus pascuis abundat, et etiam argenti metalla habet. Hæc

quondam Baronia familia parvit, nunc peculiari imperio regitur, et propria habet insignia.

In hac valle plures oriuntur Vici, quorum praecipuus S. Euphemiae Vicus nominatur. Arx praterèa Berrigarda |: Berrigard seu Bierragard :| in altissima petra extructa quae bello Baronio deleta est. Ufentia |: Ufenz :| fluvius è summis montibus ortus per Enfischios in Rhodanum influit. Juxta Ufentiam ex adverso Berrigardae tres Pagi Siderii ammnerantur, Fercorinum ad S. Bonifacium, vulgo Fescorrij, Schalejum |: Defalorij :| et Gruma. Inter Fercorinum et Gruman sunt Argenti metalla.

7.º Conventus Sedunensis |: Dittron Zehnten :| à fine Sideriani usque ad Morsam |: Mooye seu Morse :| fluvium, qui Veragros à Sedunis dividit, protenditur. Ejus longitudo est 8000. passuum; latitudo aliquantùm major est, quòd vallis à Lentiâ semper magis expandatur, ac inter altissimas Alpes alias valles velut ramos comprehendat. Notatur hic

1.º Sedunum |: Dittron, Sion :| Civitas non modò hui Conventus sed et utriusque Vallesiae Caput, quarum centrum fermè occupat; Sita est ad dexteram Rhodani ripam 15. milliaribus germanicis versùs Austrum à Berna, in amoena planitie ad pedem montis mediocris altitudinis, qui in mediâ planitie solus inter altissimos montes, quibus vallis universa cingitur, assurgit duobus verticibus. Horum unus sublimior et undique praeceps minum dimtaxat à civitate ascensum habet, eumque difficilem per gradus silicat ad utrumque latus muro seu rupe oblaqueatos. In hujus summitate arx est, gallicè Tourbillon velut Latinè Turbo, et germanicè ~~Turbelo~~ Zurbelbe seu Zurbele, nuncupata. Eam Episcopi, si metus aliquis pestis existat, inhabitare solent, quòd illic sit aura salubrior et frigidior. In hujus verticis radice propiùs urbem alia est domus Episcopi, quam Majoriam |: la Mayorie, dit Mayorrij :| nominant, olim arx Nobilium, qui Majores Sedunenses vocabantur, sed saeculo XIV. sub Imperio Caroli IV. à Bartholomaeo Grisaeo Majore vendita est Episcopo Sedunensi; in ea plerumque Episcopus residet. Alterum montis verticem Valeriam nuncupant: in hoc ~~est~~ Ecclesia S. Catharinae et aedes Canonicorum sunt, qui ante 400. ut ferunt, annos propter assidua bella bonum hunc jam olim à

Romanis munitum, sed bellis aut alio modo vastatum majoris securitatis gratiâ demùm restaurarunt et inhabitarunt.

Inter has arces passim per montem saxa aliáque vetera ædificia spectantur partim diruta partim integra et renovata. ~~Inter cætera propè ad urbis aquarum, vetusta domus extat, quam, ut fertur, Theodori episcopi domum episcopi, quam sub Francorum Regibus vetustam, ut dicunt, Sigismundi Burgundiæ Regis floruisse ajunt.~~

Civitas ipsa, quæ monti adjacet, pro capite regionis satis elegans est, et illi indies plus decoris accedit: cives enim jam diuturna opibus aucti illam subinde novis ædificiis ornant, quæ antea bellis sæpe vastata, aliquoties incensa, scilicet an. 1384. ab Amadæo Sabaudiæ Comite Eduardi Episcopi Sedunensis, quem Valesii expulerant, fratre et Bernatibus; et an. 1416. ab Episcopo Wilhelmo ~~et~~ et ejus fratre Guiscardo Baronio, et penè deleta fuit.

Templa celebriora habet B. Virginis unum, quod Cathedrale est, alterum B. Petri, item SS. Trinitatis, et ad moenia S. Theodori templum à Matthæo Cardinali excitatum. CC. Capucini quoque extra muros Conventum habent. Sitta fluvius Urbem perfluens salubriorem et mundiorem, sevum avertis sordibus, eam efficit. ab hoc fluvio germani illam Sitten vocant.

Civitas hæc antiquissima est, ut quæ à Sedunis Julii et Augusti Imperatorum ætate jam celebribus populis nomen aucperit. Frequentibus autem vastationibus et incendiis vetera monumenta perierunt: extat tamen adhuc in Ecclesia Cathedrali ad majorem illius portam antiqui marmoris fragmentum, unicum vetustatis Romanæ vestigium, hac inscriptione

.... C. Cæsari Divi I.
.... ugusto, Cos. XI.
.... Tribunitia Potestate XV.
Patri Patriæ
.... tifici maximo
.... as Sedunorum
.... Patrono.

Sedes etiam est vetustissimi Episcopatus, qui semper per universam Vallesiam porrectus est, atque unus ex antiquissimis totius Galliæ Episcopatibus.

attamen primùm sub finem Saeculi VI. in eâ resedère coepérunt Episcopi; primis enim Ecclesiæ Saeculis Episcopi Vallesiæ Octoduri sedem habuisse memorantur: Theodorus namque Aquilejensi Concilio, quod an. 381. ætate S. Ambrosii sub Damaso Papa, et imperante Gratiano celebratum est, tanquam Octodurensis Antistes subscripsit. Constantius quoque Episcopus Octodurensis an. 517. Concilio Epaonensi sub Sigismundo Burgundiæ Rege: et Rufus ibidem Episcopus Concilio Aurelianensi IV. ~~Gunthaeremo Rege~~ interfuit. Triginta tribus post annis Octodurum unacum Vallesia à Longobardis ~~penitus devastatum fuit~~, qui an. 574. in hanc provinciam imperant, penitus devastatum fuit, quos deinde Franci vicerunt. Tum Heliodorus Episcopus Sedani, ui Longobardorum furor pepercerat, resedit, atque an. 585. Concilio ~~Mont~~ Matisconensi II. tanquam Episcopus Sedunensis subscripsit.

4 an. 541. sub Childeberto Francorum Rege celebrato

Verùm huic nostræ narrationi obesse videtur, quòd Sigebertus in Chronicis mentionem faciat cujusdam Florentini Sedunensis Episcopi, qui jam diu ante hujus Heliodori tempora pro Christo mortem pertulit. Item in ~~Cœno~~ Agaunensis Cœnobii, quod à S. Mauritio martyre nomen habet, conservatione ~~mentionem~~ memoratur Theodorus Episcopus Sedunensis. Extructum autem fuit hoc Cœnobium à Sigismundo Burgundionum Rege circa annum Domini 515. At ~~jam~~ forte tunc ~~jam~~ Episcopatus ab Octoduro Veragrorum Metropoli Burgundionum bellis vastatâ et diutâ Sedunum translatus fuit, ac rursùs propter hujus Urbis cuuidia Octodurum rediit, demùmque post Octoduri vastationem à Longobardis factam, iterum ab Heliodoro translatus est Sedunum, ubi hactenus permansit.

Cives Sedunenses Germaniâ loquuntur et Galliâ, plebs tamen etiam corruptâ lingua seu Sabaudica utitur, quam ~~Romanam~~ Romanam vocant.

2.º ~~Ajentum~~ Supra Sedunum inter ortum et Septentrionem est Vicus Ajentum, et Mons Ravinius |: Raflinberg :| per quem itur ad Simmian vallem |: Simmensen Tibrantfal :| Helvetiorum Bernatum. Ajenti arcem et imperii aliquid Turriani habuerunt, verùm bello cuncta illis periêre.

3.º Jadè post Sittam |: Sitten :| fluvium sequitur Grimsula |: Grimsel :| Vicus unacum S. Panceratii Ecclesiâ. Post hunc Saviessa, S. Germani Vicus, et Mons Sanetschius |: Sanetschberg :| per quem Sanna vallis |: Sannenthal :| olim Gruueriorum Comitum, sed jam ab

an. 1555. titulo cautionis Bernatum, aditur. Ex monte hoc oritur Morsa fluvius: Supra hunc fluvium montem inter et Sedunum in editissimis et penè inaccessis ripibus duarum arcium ruderа cernuntur, quarum una Seon nominatur, è qua Antonius Turrianus |: de la Tour:| Guiscardum Tavellium Episcopum præcipitem egit an. 1375. altera Mons ordei, vulgari linguâ Montarsum |: Montarse, et Montorge:| nuncupatur.

4º Ab alterâ sen sinistrâ Rhodani ripâ è Regione Sedunii Bornus |Borne:| fluvius Rhodano miscetur, ortum habet in monte Sylvio, qui Salassos sive Vallis Augustanæ populos à Sedunis separat, et ad 16. millia passuum per Urensiam Vallem labitur: juxtà illum est pagus cum Ecclesia S. Martini, item Massius vicus et Nava cum Templo D. Mauritii. Alium adhuc fontem habet Bornus, nam ex eisdem ferè Alpibus ad 18. millia passuum à Rhodano fluviolus oritur, qui 8. millibus passuum à fonte suo priori miscetur: Vallis, per quam defluit, Armensia nominatur: aris sacrum eximiæ bonitatis hoc loco sunt, et pagus ejusdem cum valle nominis, nec non alter Voschius nomine. Supra confluentes utriusque fluminis.

5º Supra Rhodani et Borni confluentes in montis radice extat Bremisa |: Bremis:| vicus, et propè hunc ex rupe excisâ sine ullis tigris et trabibus ligneis formatum est integrum Monasterium, hoc est, Templum, cubicula, conclave, culina, cella vinaria, p. at Monachi, qui illud incoluêre, brevi omnes ob loci, ut creditur, humiditatem ad unum omnes periêre: itaque ab habitatoribus nunc desertum est et vacuum.

§. II.
De Valesia Inferiore
seu
Sex Veragrorum Conventibus
vel
Satrapiis.

Post Sedunos Veragri imam Vallem inhabitant, à Morsiâ flumine ad fauces usque, quâ Rhodanus egreditur. Eorum Regio, ut jam alibi dictum, Inferior Valesia nuncupatur; atque olim Agri Caballici pars erat.

Veragrorum meminêre Cæsar, Plinius, Strabo, Livius qui ipsos Semi-germanos fuit; itinera enim, quæ ad Pennium ferunt, injus juga Veragros incolere scribit, populis Semigermanis tempore Hannibalis obsessa fuisse tradit. At nostrâ ætate Veragri lingua Gallica sive Sabau-

dicâ utuntur, quam ipsi Romanam vocant, nam cùm Romani rerum potirentur, veterem suam Celticam linguam |: quæ non alia fortè fuit à Germanica nisi dialecto differens, undè etiam morum et linguæ ratione Semigermani à Livio dicti sunt :| dedidicêre, aut potius latinam, qualis in provinciis quibusdam in usu erat, cum hac commiscentes, utramque corrupêre. Verùm in summis vallibus, et quæ Alpium cacuminibus proxima sunt, incolæ linguæ Germanicæ usum retinuerunt; proinde existimandum est ipsos veterum incolarum esse reliquias, qui, dum cæteri gentiles, sui aliò demigrarent, in suis permansêre sedibus.

Parent Veragri, prout supra diximus, superioribus Vallesianis, atque in sex Conventus distribuuntur, quos superiùs enumeravimus, atque hic breviter expendimus. Igitur

1°. ocurrit Conventus Contegianus |: Gondes, Gundis, et Gonthrey, Le Gouvernement de Gondes :| Sedunensi occidentalis est, nemon utramque Rhodani ripam occupat.

In eo præcipuus locus est Contegium |: Gondes, Gundis, et Gonthey :| qui et Conventui nomen tribuit, olim oppidum fuit, nunc verò vicus: leuca gallica ad occidentem à Sedunis, paululùm à Rhodano remotior est. Præter hunc adhuc alius ejusdem nominis vicus ocurrit Rhodano propior, hic Contegium planum |: Gonthey le plan :| vocatur, ille Contegium Castellum |: Gonthey le Chateau :|

Ab his non longè distat ac propè flumen situs est Vetronius |: Vetron :| vicus, qui eidem Conventui attribuitur. à Sinistro latere Rhodani Neinda mons vinetis et pascuis amœnus cum ejusdem nomini pago ocurrit.

Parvit aliquando hic Conventus Turrianis Comitibus, qui in Contegio Castello Arcem habuerunt, sed bonis hujus familiæ propter Guiscardi Episcopi cædem publicatis, ipsorum ditio Episcopatui et Reipublicæ Sedunorum cessit, atque diruta est, eandem ab Amadeo Sabaudiæ Comite, qui Vegrarorum imperium sibi vindicarat, restitutam Valesiani, illo devictò, demùm diruerunt.

Pareuerunt deinde Contegiani Bernatibus; bello enim Veragrico, quod an. 1475. gestum est, Bernates suppetias tulêre Valesiis, qui illis in stipendium Contegium dedêre: sed bello Allobrogico an. 1536. Valesii datâ Bernatibus Præfecturâ ad Lacum Lemanum, quæ Aelen vocatur, Contegium, quamvis impari permutatione, ~~[illegible]~~ ejus loco receperunt, ne deinceps quisquam exterorum ulli parti Valesiæ imperaret. Contegii celebris

est Serventum vetus et Nobilis familia.

2°. Infrà Contegium ex Alpibus illis, quæ Veragros à Bernatibus separant, Lisserna fluvius Rhodano miscetur, post hunc Ardonius [Arden vel Ardon:] alter Conventus Vegrarorum, et vicus eodem nomine ad dexteram Rhodani ripam situs sequitur. Ad hunc Conventum pertinet et alter pagus Schamosius [:Schamoz:] ad S. Andream, et Cœnobium S. Petri una cum conjuncto Vico.

3°. Tertius Veragrorum Conventus est Sallionius à Sallionio [:Sallion:] Oppido hic dictus. Oppidum hoc in edito colle et loco amœno situm est. Arcem quoque sui nominis habuit Sedem Sallionio ~~familiæ~~ Nobilis familiæ, à qua an. 1210. Warinus Sedunensis Episcopus fuit. Familia hæc post extincta est. Arcem Sedunii bello Veragrico dejecerunt. Inter Sallionium et Ardonium Vicum est Templum S. Martini et Vicus Leitrona [:Leitron:] Sub Sallionio est Fulliena [:Fullien:] pagus, et Ecclesia S. Sulpitii. Conventus iste etiam ad dexteram Rhodani collocatus est; ei tamen vicus Ridena [:Ridon:] cum Ecclesia S. Laurentii ad sinistram hujus fluminis ripam situs accensetur.

4°. Ocurrit Conventus Intramontius [:Intremont:] sic dictus à situ suo, ut qui montibus altissimis undique cingatur. Binas Valles comprehendit: prima, quæ magis ad Orientem vergit, Bathéa vocatur, q & cam fluvius à meridie defluens secat, qui prope Branscheriam [:Branschier:] pagum alteri miscetur, ac ambo Dranca nomen accipiunt. Vicus hic est, qui à S. Mauritii Templo et Valle nomen habet. Jodocus Sillinus qui ab an. 1482. usque ad an. 1496. Episcopatum Sedunensem tenuit, quo, seditione mota, et patriâ pulsus est, argenti metalla primus hic invenit, quæ nunc quoque cum fructu exercentur.

q forte à Balnais, quæ olim hic fuisse dicuntur.

Altera Vallis à Pennino monte Branscheriam ~~usque~~ [:Branschier:] usque porrigitur quatuor leucis gallicis, quo loco alter fluvius Dranca priori miscetur. Pagum, qui duabus leucis à summo Pennini jugo distat, S. Petri Burgum [:St. Peters-burg:] appellant, ab eo vallis nomen accipit. Quatuor millibus passuum post hunc Lida sequitur, et pari post Lidam spatio Orsiera vicus

et S. Nicolai Templum. Orsiera, S. Petri Arx et Balvea singuli pagi propria distinctaque jura et peculiaria insignia habent.

Branscheria praecipuus hujus Conventus Pagus 20. millia passuum à Summo Pennino distat: celebre hic est S. Stephani Templum. Saxo p: Saxe: Vicus octoduro propinquus Intramontionum est unacum Arce, quae in praeruptâ rupe collocata bello Vegrariis dirupta est. Ex altera Septentrionali Rhodani ripâ Vulliesius pagus est et Templum S. Martini.

A Branschierâ Vico per S. Petri Vallem et Pennini jugum, quod nunc Montem S. Bernardi majorem, ad distinctionem ejusdem nominis montis in Sabaudiâ Augustanam Vallem inter et Tarantasiam siti, qui minor dicitur, vocant, iter est ad Salassos seu Pedemontanos.

4 Canonicorum Regularium ordinis S. Augustini, idemque amplissimum, ut quod 600. circiter personas continere valeat,

In Summo Pennini jugo coenobium extat, in quo hospitio excipiuntur omnes, qui per has Alpes iter faciunt. Etenim mons ipse assiduis nivibus tectus, et omnia latè ab utraque parte squalida et sterilia sunt: itaque jumentis sarcinariis ex proximis celebrioribus viis omnem annonam in montis jugum convehere necesse est. Hujus coenobii Religiosi peregrinos magnâ humanitate, cujusumque demum sint religionis, excipiunt, et quotidie ab utroque montis latere illis obviam progrediuntur, cibum et potum delassatis adferentes, viam ostendunt, et in monte superando illis sunt auxilio. Per tres dies peregrinos apud se detinent et refocillant, pauperibus per idos dies gratis dant victum, opulentiores suo quisque arbitratu symboli loco munera tribuunt. Si qui hic moriantur, cum nihil terrae hoc loco sit, cui mandari possint, in sacellum paulò remotum à Monasterio et undique glacie obsessum deferuntur, in quo cadavera propter frigoris excessum diu incorrupta manent.

Qui coenobio praeest Eleemosynarius vocatur, ac in Lausannensium Episcoporum Annalibus traditur Hartmannum hujus coenobii Eleemosynarium circà annum christi 891. Lausannensem Episcopum factum esse. Quo tamen tempore Coenobium hoc primùm conditum fuerit, ignoratur, vetustissimum esse nemo dubitat;

at verisimile est longè ante ejus originem hoc loco hospitium aliquod in usum peregrinorum fuisse, quod posteà in coenobium commutatum fuerit.

Domestiis monumentis proditum est in hoc monte idolum quoddam fuisse, quod petentibus responsa dederit. Livius lib. 21. scribit: fuisse in summo saxatum vertice Poeninum, et ab eo montem nominatum. Quidam Jovem hic saxatum fuisse arbitrantur, et ideò hoc Alpium jugum Montem Jovis nuncupârunt, ex quo postmodum vernaculâ linguâ Montjou vel Mont-Jou factum fuit. Posteaquam verò Salassi et Veragri ad agnitionem Christianæ fidei venêre, Bernardus Sacerdos ex Augusta Prætoria |: Aosta :| pia et sanctæ vitæ homo idolum dejecit, et coenobium eo loco in usum peregrinorum instituit, à cujus deinde nomine mons iste S. Bernardi dictus est.

5.° Martiniacensis Conventus |: dit Landvogtey Martinach, le Gouvernement de Martigny :| proximè sequitur, et primùm Vallis mediocri spatio inter montes occasum versùs se se diffundens, quam Tridentinam vocant, in qua ferrum è montibus effoditur: per hanc itur ad Bodiontios*. Notari meretur hic

Martiniacum, seu Veragrorum Vicus |: Martinach, Martigny :| vetustum oppidum ad orientalem Dransæ fluvii ripam, qui aliquot centenis ab eo passibus Rhodano misceatur, situm in planitie inter prealtos montes, duobus milliaribus Helvetiis ad occidentem à Sedunis, et uno versus austrum ab Agaunis. Ad alteram et occidentalem Dransæ ripam Castrum in præcipiti rupe collocatum est, quod aliquoties vastatum Episcopi Gillimus et Matthæus Cardinalis restituerunt. Hoc loco via per alpes se in duas partes dividit, una per Sedunos et Veragros ad Sempronias Alpes et Furcam aliâque juga duit, altera per Jutremontios et Penninas Alpes ad Salassos.

Martiniacum est Octodurum veterum Urbs quondam celebris et caput Vallensium. Illius vetustatem produnt Romanæ Inscriptiones. In illius Templi angulo hæc legitur, aut lecta fuit.

R. J. Augusti. F.
J. Nepot.
Pj. Vetuti.
C. J. Cos. Ia.

* Bodiontii seu Ebrodunii veteres Galliæ populi, qui non procul à Lacu Lemano in Baronatu Gosiniacensi in Savandia sedes habuerunt.

Et in columna è nudi lapide sub posteriore portica ejusdem Templi ista exprimitur.

Imp. Cæsari Val.
Constantio Pio
Fel. Invicto Aug.
Divi. Constantii. Pii. Aug.
Filio. Fior. C. Val. Bono
Reipublicæ nato.*

* Ajunt has Inscriptiones haud amplius extare, sed Ecclesiasticorum negligentiâ vituperabili, dum Ecclesia novâ ædificaretur, perfundatas fuisse.

Octodurum Julii Cæsaris ætate Oppidum fuit, atque illic cum Veragris et Sedunis Galba Cæsaris Legatus pugnavit, et Victor illud incendit. Postea (: fortè tum, cùm gentes illæ Alpinæ omnes à Cæsare Augusto devictæ fuerunt :) Urbs factum est, et incolæ Latio donati. Sequentibus deindè Sæculis Maximianus Herculeus cum exercitum adversùs Bagaudas* duceret Octodurum venit, et illic Sacrificiis peractis milites Sacramentum dicere jussit, ac Thebæam Legionem unanum Primicerio suo Mauritio, id facere, quòd Christiana esset, renuentem Agauni, ubi tunc ipsa erat, trucidari jussit.

* Bagaudæ sive Bacaudæ Galliæ populi, qui instigante tyranno Aliano Juliano Se Se Augustos vocavêre. Apud veteres Bagauda latrocinium significabat: et apud Prosperum in Chronico et Salvianum lib. 5. p. 91. Bagaudia vel Bagaudæ idem ut ac Latrocinium.

Maximianus Herculeus à Diocletiano post mortem Carini in Imperii consortium assumtus illos an. Chr. 285. vel 286. devicit, nec tamen penitùs extirpavit, verùm longè post denuò turbas excitarunt, ut quorum adhuc Sæculo V. mentio fiat, ubi in Galliâ et Hispaniâ tumultuasse memorantur.

Ab illo tempore creditur in his regionibus fidelium numerum crevisse, nam Sanguine piorum rigatur Ecclesia Christi. Numero autem credentium auctô uni Episcopo Ecclesiarum cura commissa est, qui Octoduri sedem suam primitùs habuit. Postea cùm Burgundiæ Reges, sub quorum imperio Veragri et Sedunii tum erant, assiduis bellis à Francis peterentur, Octodurum cum universâ valle multa perpessum vastatumque fuit, prout supra memoravimus, et abeo tempore nunquam pristinum Splendorem et dignitatem recuperare voluit et Episcopatus inde ad Sedunos translatus est, Octodurò verò in locum Civitatis Oppidum successit frequentior tamen et notior propter Mercatores, quibus hæc frequens per Alpes iter est. Sub Octodurò ad Sinistram Rhodani hi vici sequuntur, Juviana, Servantia, et Verosa.

6°. Denique occurrit Conventus Mauritianus (: die Landvoigtey St. Maurice, Le Gouvernement de St. Maurice :) positus ad Septentrionem Martiniacensis Sabaudiam inter et Rhodanum ubi ad Septentrionem cursum suum flectit, et qui illum à Bernatibus separat, ~~contra~~

angustis admodùm limitibus coarctatus, necnon versùs Aquilonem ad Lacum Genevensem usque porrectus. Oriunt hîc Mauritianum, apud Veteres Agaunum [: St. Maurice :] Oppidum ad Sinistram Rhodani ripam ubi ad Septentrionem fluit, situm milliari Helvetico versùs Caurum ab Octoduro. Juxta illud montes in unum parè coeuntes, exiguo spatio, quà Rhodanus effluit, relicto, vallem praeruptis et altissimis rupibus quasi muro quodam claudunt. Incola Rhodanum eo loco ponte fornicato Stravêre, cui castellum additum est, et porta ponti imposita, qua tota Vallis clauditur: montes enim hyeme plerique impervii sunt, ipsa etiam aestate difficulter transiri possunt, nec ulla via militaris et convehendis curribus tormentorum apta per hos montes patet: praeterea singuli aditus et summa montium juga in Vallesiorum sunt potestate, quo ipsi exiguâ manu tueri facilè possunt. Recte itaque Incola totam Vallem suam unum quoddam Oppidum censent montibus quasi moenibus munitum, cujus porta Mauritianum seu Agaunum est. Locum hunc à Julio Caesare bello Gallico munitum fuisse plerique credunt, ut sic Alpinum transitum in potestate haberet.

Agauni extant vetustissimae inscriptiones Romanae, quae illius antiquitati testimonium perhibent. Unicam hîc atteximus

V. F.
Julia Decum. Fil.
Decumina
Flaminica
D. Pansio M. Fil.
Severo An. XXXVI.
IV. Decumina Mater
Fil. Pientissimo
X Pansio. Cor.
.... Filio. Severo.
IIVIR. Flamini
Julia. Decumina
Marito.

Multae etiam inscriptiones in Templi pavimento, et quod S. Mauritii parietibus et muro coemeterii visuntur, sed vetustate deleuntur,

exesa sunt et attrita ita, ut vix paucissima littera agnosci queant. In Sacello ejusdem Templi supersunt tres columnæ marmoreæ antiqui operis, et pones summam aram pavimentum tessellatum variegati coloris.

Agauni à Maximiano Imperatore, quod jam supra memoravimus, Legio Thebea, cujus Dux erat Mauritius, propter confessionem Christi nominis cæsa est circa an. Chr. 285. vel 286. Abeorum martyrio annis circiter 230. cùm locus hic apud Burgundos, qui in his regionibus dominabantur, magnæ venerationi esset, Sigismundus Rex Burgundiorum Maximi Genevensis, Theodori Sedunensis et aliorum Episcoporum oratione et precibus impulsus, ibidem in honorem horum Martyrum celebre construxit Cœnobium, quod, si fides Chronicis Marii Aventicensis Episcopi, an. 515. cœptum et an. 522. perfectum fuit. Eidem à Sigismundo S. Severinus tanquam Abbas præfectus est, illudque amplis reditibus instruxit, quod dotationis tabulæ testantur. Monasterii hujus Religiosi speciale institutum et Regulam sortabantur ac in speciales cœtus divisi erant, qui sibi invicem succedentes die noctuque Laudes divinas decantabant.

Volunt aliqui hoc locus jam antè tempora Sigismundi Burgundiæ Regis Cœnobium stetisse, à Tarnada* Oppido, quod attingebat, Tarnadense dictum, cujus, ut et Regula, quam ex es Monachi servabant, meminit S. Benedictus Ananiensis in ~~Languedocia~~ Langedocia seu Gallia Abbas, qui sub finem Saeculi VIII. et post initium Saeculi IX. floruit, ac an. 821. 11. feb. è vivis excessit, in libro, cui titulus, Concordia Regularum. ubi eandem Regulam Tarnadensem nuncupat; quod deinde Sigismundus ~~[illegible]~~ restaurarit, ac reciam dotaverit, quemadmodum colligi videtur ex Sermone, quem S. Avitus** Viennensis in Delphinatu Archiepiscopus ibidem habuit, de innovatione Monasterii Agaunensis. Ex quo habetur Cœnobium istud antiquato Tarnadensi nomine, jam tum Agaunense nuncupatum fuisse, quod nomen et postmodum obsolevit, ac modò ad S. Mauritium dicitur. Propagato dein post medium Saeculi VI. per universam fere Europam S. Benedicti Ordine et Instituto, idque et hujus Cœnobii Monachi amplexi sunt.

Sub initium Saeculi IX. Carolus Magnus huc, reliquias Martyrum Thebeorum veneraturus venit, et Altheo

* Tarnada urbs seu oppidum. Illius meminit Antoninus in Itinerario, illudque Octodurum inter et Penneloeum seu Penniluam Vaudi ~~urbeculam~~ collocat. Videtur Agaunus proximum ~~fuisse~~, vel potius ipsum Agaunum fuisse; nec enim ubibi Tarnadæ Urbis seu Oppidi, quod Agauno proximè situm fuerit, extat memoria.

** S. Avitus obiit an. 523. 5. feb.

Abbati simul et Episcopo Sedunensi, ac Monachis multa largitus est. Ejusdem Imperatoris filius Carolus Leonem Papam Româ ad Carolum Imperatorem proficiscentem Agauni excepit, et ad patrem deduxit. Ludovico Pio Caroli M. filio imperante Monachis, quòd, ut ~~ajant~~ quidem ajunt, dissolutam agerent vitam, ejectis, eorum q Canonici Seculares ab ipso fuere substituti, sub his, ~~postquam~~ Coenobium, dissipatis illius opibus, ad summam pervenit egestatem, malum auxerunt Saraceni, qui Saeculo X. ex Provinciâ, ~~quam~~ |: Provence :| quam occuparant, in has plagas irrumpentes, omnia devastavêre, ~~atque~~ etiamnum Coenobium hoc incenderunt. Tandem, cùm longo tempore vastum jacuisset, Amadeus „III. Mauriaeae Comes precibus Hugonis Gratianopolitani Episcopi permotus Agaunum venit, et abalienata hujus Ecclesia bona restituit, Monasteriumque Canonicis Regularibus Ordinis S. Augustini an. 1128. ~~[illegible]~~ tradidit, quam traditionem Honorius II. Summus Pontifex confirmavit. Tum Coenobii hujus opes auctae sunt, nam Petrus Tarentasiensis Episcopus eidem non parva donavit, et Amadeus Comes Praeposituram Balneaorum attribuit q aliorum quoque liberalitate et Monachorum diligentiâ nemon parsimoniâ brevi tempore illorum opes plurimùm crevêre, et ab Eugenio Papa III. facultatem obtinuerunt sibi Abbatem deligendi, cùm priùs nonnisi Priorem habuissent; igitur an. 1146. Hugo secundus hujus Coenobii Prior Abbas ab ~~Eugenio~~ eodem Papa Lugduni appellatus est: quo anno ab ipso Monasterii Templum honoribus S. Mauritii dicatum traditur fuisse consecratum. Eadem dignitas et vitae institutum hodie manet. In Templo ~~asservatur~~ S. Mauritii gladius in argentea vagina asservatur.

q loco

q an. 1143.

Fecerunt Sigismundum Burgundiae Regem hujus Monasterii fundatorem seu restauratorem, poenitentiâ ductum, quòd filium suum Sigericum instigante novercâ interimi jussisset, in illud se contulisse, ac ibidem pluribus in laeymis et jejunio transactis diebus à Deo veniam delicti sui implorasse.

Abdicato et mortuo Carolo Crasso Imperatore Rudolphus I. Conradi Comitis Parisiensis filius, cùm penè omnia in Imperio fluctuarent, exiguum quôdam regnum in Helvetiâ et Valeriâ usque ad Alpes inter Galliam, Italiam et Germaniam instituit, quod sub nomine Burgundiae Transjuranae notum factum est, atque,

quod jam suprà retulimus, an. 888. in hujus Coenobii Eulenia ab aliquibus Episcopis in Regem coronatus est.

Anno 1692. Monasterium istud igne penitùs consumtum fuit, illudque incendium Monachis plus quàm centum millibus florenorum stetisse dicitur; at brevi post elegantius, quàm antèa fuerat, restauratum est.

Simlerus Descript. Valles. lib. 1. ait, se à viris gravibus et ab omni superstitione alienis, qui se oculatos testes asserebant, audivisse, in piscina Coenobii hujus pisces servari pro Religiosorum numero certis notis insignitos, quorum si quis moritur, brevi Monachorum aliquem consequi, ac omninò certissimam mortem illorum alicujus portendi, si piscis mortuus in aquis apparuit. Quidam tamen fidem huic narrationi derogant, atque nullos alios pisces in vivariis Coenobii servari ajunt, quàm truttas è Rhodano huc delatas.

Agaunum etiam à Thermis, quæ ibidem sunt celebratur.

Subsectio II.

De Rhatia, seu Republica Grisonum.

Rhatia sive Respublica Grisonum |: Rhätien, sive Graubündten, vel etiam Bündtnerr=Land, Le pays des Grisons, Il paese dei Grigioni :| à Cæsare lib. 4. in Lepontiis Alpibus* circà binos Rheni fontes collocatur: Rhenus, inquit, oritur ex Lepontiis qui Alpes incolunt. Undè colligitur hodiernos Rhætos seu Grisones eas habitare plagas, quæ olim Lepontiorum fuerunt.

Rhatia nomen sortita est à Rhæto Tuscorum Duce, sub quo è Tuscia sive Etruria |: Toscana :| patriâ suâ à Bellovero seu Belloviso Ambigati Galliæ Regis ex Sorore nepote 400. circiter ante Christum annis ætate Tarquinii Prisci Romanorum Regis pulsi in hanc regionem se receperunt, atque veteribus illius incolis, qui pauci admodùm fuisse dicuntur, juncti et permixti fuerunt. Postmodùm alii adhuc Italiæ populi Hannibalem Poenorum seu Carthaginensium Ducem, qui Italiam invaserat, fugientes has inter horridas Alpes tutum quæsierunt asylum.

Omnes ikin tàm veteres quàm novi Incolæ à Rhæto Duce Rhæti fuêre nuncupati, ac ipsa Regio, ut prius dictum, Rhætia. Posteà etiam Cami seu Grisei, vel corruptâ Rorum populorum linguâ Grisones |: Graubündtner, Grisons, Grigioni :| appellati sunt, Tuscis, ut quidam autumant, auctoribus, qui, cùm primò vocati fuerint Rhæti, sicque cæteros Incolas antiquitate nominis antevertérint, tanquam illorum Seniores Cami seu Grisei, aut Grisones nuncupati sint, quod nomen deinde ad omnes hujus regionis populos propagatum fuerit. Alii volunt eos à potente quondam et Nobili hujus provinciæ viro, cui Camus nomen fuit, sic dictos fuisse. Alii denique hunc nomini recentiorem tribuunt ætatem, arbitrantúrque Rhætis Griseorum Foederatorum seu Grisonum |: Graubündtner :| nomen attributum fuisse, quia, qui Sæculo XV. inter se se junctò foedere jugum Dominorum illorum, à quibus nimium premi se putabant, excusserunt, rudibus grisei et domestici pannis vestibus induti erant.

* Per Alpes Lepontias vel Lepontinas |: Die Lengontischen vel Lagontischen Alpen :| omnes ili montes intelliguntur, qui à Penninis Alpibus ad Summas usque porriguntur. Inter binos Rheni fontes et Lacum Verbanum sive Majorem, necnon in Ducatu Mediolanensi et Helvetiâ sitiunt. Alpes Summæ Penninas attingunt, et Ducatum Mediolanensem ab Helvetiâ separant. Quidam illas omnes, quòd contiguæ sint, sub Adulæ montis |: Adler, Aigle :| nomine comprehendunt. Inter eas præcipuè celebratur mons S. Gothardi, Adula propria sequitur, tum Crispaltes, deinde Lucomonis mons seu S. Barnabæ |: Luchmanierb=Berg :| Avinula seu S. Bernardini mons |: Hogrlb=Berg :| qui pars est montis S. Gothardi; et Furca seu Furcula |: Gabel, Fourche :| quæ etiam ramus est montis S. Gothardi. Aliqui sub Adulæ montis nomine comprehendunt Montes Sti Gothardi, Crispaltum,

Aviculam, Furculam, et Adulam propriam. Ubi populi isti sedem suam in hac regione fixerunt, tum urbes, et arces munitas ubique exstitârunt, quorum reliquiæ variis in locis adhuc supersunt, et sanè nullibi aliàs occurrit provincia, quæ tot arces et munimenta continet ac Rhætia continuit. Deinde etiam versùs Galliam, Italiam et Germaniam limites suos protulerunt, jamque sub Consulatu Caii Pompeji Strabonis Pompeji Magni genitoris Tridentum, Veronam, et Comum usque porrigebantur; post quoque in Germaniam ~~postea~~ Lacum Bodamium et Lycum |: ~~Lech~~ Luf :| Bojariam usque protenti fuêre, ac hodiedùm adhuc in Suevia ad fines Franconiæ occupant satis amplus tractus, qui ab iborum nomine Rhætiensis Pagus |: Rirß vel Im Rirß :| nuncupatur. Verùm sæculi temporis ad antiquos limites suos repulsi sunt, intrà quos hactenus se continuerunt.

Varia bella cum Romanis totius orbis dominatum imitantibus gesserunt, ac tandem sub Imperatore Octavio Augusto ab ipsius privignis Tiberio et Druso devicti intra primitivos limites suos, quod prius dictum, se receperunt, eorumque regio Romana provincia facta est. Labascente dein Romano Imperio Franci illius dominium obtinuerunt, tandemque Germanis Imperatoribus subjecta fuit*.

* An. Chr. 670. sub Childerico Francorum Rege Hunni Rhætiam Disertinam |: Disentis :| usque miserè depopulati sunt: et an. 950. Saraceni eadem calamitate illam afferunt.

Tam sub Francorum Regibus, quam Germaniis Imperatoribus Duces, posteà Præfectos seu Comites habuit, qui vicario dumtaxat nomine variis ipsius partibus dominati sunt, ac ad nutum Principis, non autem hereditario jure, sibi invicem succedebant: verùm tandem eò rem perduxerunt, ut earum regionis hujus oranum, quibus præerant, absoluti Domini evaserint: majori quoque illius parti Episcopus Curiensis olim dominatus est.

Rhati, ubi sæpe temporis de Imperatoribus ob præclara eisdem præstita obsequia benemeriti sunt, magna privilegia et immunitates ab ipsis obtinuerunt. Qui Comitum subditi erant, libertatem suam pecuniis redemerunt, vel entiutis ipsorum familiis liberi facti sunt; denique qui se ab ipsis nimium premi putabant, sumtis armis jugum iborum excusserunt. Episcopi quoque Curienses sensim, præcipuè autem ubi rerum status in Rhætiâ aliam faciem induit, omni, qua in ea polebant, auctoritate decciderunt ita quidem, ut modò in regiminis negotiis nec partem nec influxum ullum habeant. Ipsa Domus Austriaca repetitis vicibus tantùm de suis in ulla 4 formè juribus vendidit, ut nunc eidem nihil sit residuum præter Rezonam |: Rhatzuns :| exiguam ditionem, in quam supremum Dominium etiam retinent Grisones.

Hicqs populi plenâ sic adeptâ libertate Rem-publicam Democraticam, ejus scilicet suprema potestas penes populum est, instituerunt.

Universa Regio hac penitus inter alpes sita est, neuon vallibus minis aut magis angustis, quas montes praealti coartant, constat. In iis varia oriuntur aqua metallica, ut et fontes praecipuorum Europa fluminum, Rheni scilicet, et aliorum. Non adeò salubri et jucundo fruitur aëre, solumque ejus fertilius esse posset; extimi tamen illius fines, nempè Majavillensis dicti versus aquilonem et Bragallia versus austrum, in satis amoeno climate sunt positi, neuon frumenti et optimi vini feraces. In ipso Regionis corde avena, hordeum, et quibusdam locis siligo metuntur; hinc inde occurrunt quaedam fertiles valles. In Alpibus permulta pascuntur armenta, è quibus ingens compendium faciunt Incolae. Gerina hic etiam est copiosa, fluviique et exiguiquidam lacus pisces abundè suppeditant.

Incolis est frequentissima, qui partim Catholici partim Protestantes sunt, hi an. 1524. Zuinglianismum amplexi sunt priorèsque numero superant. Speciali utuntur idiomate, quod corruptum Italicum refert, Germanicum tamen fermè ubique invaluit. Quantùm ad mores medium quoddam Helvetios inter et Italos tenere videntur; Helvetis sunt vivaciores, idque participant ab Italorum vicinia, at ingenuitate et sinceritate Italos longè superant, et in hoc Helvetios imitantur. Libertas, qua gaudent, et quam solicitè tuentur, hilares, cordatos simul et elatos efficit, unde etiam est, quòd vulgus, qui ubique sectatur abusum, ferocis et arrogantis sit animi. Militiam amant, et frequenter in exterorum Principum exercitibus stipendia merentur, quod ipsorum animositatis et fortitudinis, quâ jam ab antiquis temporibus celebres fuerunt, est argumentum.

Quidam per Campos Caminos, quorum Ammianus Marcellinus lib. 15. c. 4. meminit, Rhaetos intelligi volunt, atque vocem hanc Caminus à voce Camus quae Gr. Semus [Gr.] significat, derivant, quam tamen

aliundè deducit Sidonius Apollinaris Panegyr. Majoran. v. 375. Alii verò Campos Caninos circà Civiam ejusdem nominis Ducatûs in Westphalia Metropolim collocant.

Rhatia hodierna in tres partes ~~dividitur~~ dividitur quæ Foedera |: Bündt, Ligues, Leghe :| ~~vocantur~~: Suntque Foedus Canum seu Superius |: der Grauer=Bündt, seu der Obere vel Alte Bündt, la Ligue Grise seu Superieure, La Lega grigia seu Superiore :| Foedus Casæ seu Domûs Dei |: Gotteshaus=Bünd, la Ligue de la maison de Dieu, vel corruptè de la Caddée, La Lega della casa di Dio, corruptè della Caddea :| Foedus Decem Communitatum Sive Judiciorum |: der Bünd der Zehn Gemeinen vel Zehen=Gerichte=Bünd, la Ligue des dix Communautés vel Jugemens, la Lega dei dieci Judizii seu Communitá :|

His tribus Rhatiæ partibus versùs Austrum et Orientem junguntur simulque subduntur Comitatus Clavennensis |: die Grafschaft Chur vel Cläur, la Comté de Chiavenne, la Contea di Chiavenna :| Vallis Telina |: das Veltlin seu Veltlein, le Valtelin, la Val Telina :| et Comitatus Bormiensis |: die Grafschaft Worms, la Comté de Worms, la Contea di Bormio :|

Rhatia sic distributa limites sunt ad orientem Comitatus Tyrolensis; ad Austrum Ducatus Mediolanensis, et Dominium Venetum; ad Occidentem Pagi Helvetici Uriensis et Glaronensis, necnon Comitatus Sarnetus; et ad Septentrionem Comitatus Brigantinus. Ejus longitudo ab Austro ad Aquilonem est 17. milliarium germanicorum, latitudo ab occidente ad Orientem non ubique est æqualis, maxima est 15. vel 16. milliarium.

Cùm sæpenumerò hostes Rhætos adorti, necnon ipsorum regionem depopulati sint, hinc, quò se adversùs hujusmodi vastatores firmiùs tueri valerent, successivè non modò inter se se, sed et cum vicinis sibi Valesiis et Helvetiis Societatem inire et foedera pangere consultum duxerunt: primùm quidem aliquæ Communitates inter se se privatim et sub speciali titulo seu nomine, tùm pariter aliæ, tùm denique aliæ foedus inierunt; unde triplex horum foederum

genus dictum est scilicet Canum, Domûs Dei, et Decem Iudiciorum seu Communitatum, quæ simul junctâ societate velut in unum coaluêre, et communiter à Cano seu Grisco, quod primò omnium, prout memorant qui de rebus Rhatiis scripsêre, quædam Communitates inter se se paranerunt, regionis hujus Incolæ Cani seu Grisei, et demùm per vocis corruptionem Grisones, ut jam supra retulimus, dicti fuisse videntur. Postmodum iidem Rhati seu Grisones cum Valesiis et Helvetiis, non quidem simul, sed successivè fœdus iniernnt, quod datâ occasione notabimus; Hæc de Rhatiâ seu Grisonum Regione, illius Incolis et Subditis generatim. Modò singulas ejus partes et Dominia distinctis paragraphis expendimus.

§. I.

De Fœdere Cano seu Superiori.

Fœdus Canum sive Superius et Antiquum |: der Graür=Bund oder Obrer= et Alter=Bund, La Ligue Grise seu Superieure, la Lega Superiore sive Grigia :| tanquam reliquorum duorum primum et præcipuum eidem nomen suum impertitur. Confine est ad occidentem Pagis Helveticis Glaronensi et Uriensi necnon Præfecturæ Bilitionensi; ad Austrum, ubi omninò angustum est, eidem Bilitionensi Præfecturæ et Comensi Tractui; ad Orientem et Septentrionem Fœderi Domûs Dei. Ejus Longitudo ab Austro ad Aquilonem est 12. milliarium Germanicorum, maxima latitudo ab Occidente ad Orientem 6. milliaria itidem Germanica æquat.

In eo bini fontes Rheni occurrunt, unus, qui Rhenus Anterior seu Inferior dicitur, sub Crispalta monte; alter, qui Rhenus posterior seu Superior vocatur, sub Avicula seu S. Bernardini monte scaturiunt; tum versus Aquilonem fluentes septem à suis scaturiniibus milliariis Germanicis non procul à Reziona |: Rätzüns :| Arce junguntur, relictisque suis cognominibus simpliciter Rhenus vocantur, qui reliquam perfluit regionem.

Fœdus istud 18. vel 19. Communitates complectitur quarum Incolæ partim Catholica partim Calviniana seu Zwingliana sacra profitentur. Hæ Communitates ita inter se se coeunt, ut octo suntanat magnas ~~Communitates~~ efficiant. Hic notari merentur

10. Disertina, Disentina, Disentium, Disertinum, Desertinum, et Disentium [: Disentis :] Cercelebre ac principale Ordinis S. Benedicti Monasterium, cui jungitur Oppidum ejusdem secum nominis ad Lavam anterioris Rheni situm milliari gallico versus Aquilonem ab Altnatio.

Prima hujus Coenobii fundamenta jecisse dicitur S. Sigebertus natione Scotus et S. Columbani discipulus, necnon Rhetorum Apostolus. Hunc unacum S. Gallo et aliis idem S. Columbanus è Scotiâ in Helvetiam sub initium Seculi VII. adduxit, ut hujus regionis incolas idololatricae tenebris plerumque adhuc obvolutos Christianae fidei mysteriis imbuerent. Anno dein reparatae salutis 614. vel 616. S. Columbano ac sociis in Italiam profectis Sigebertus primùm in Valle Urseria sub monte S. Gothardi substitit, at ùm locus non satis solitarius sibi videretur, superatis Crispaltae jugis in Rhetiam ad Altnates se recepit, ibique non procul ab anterioris Rheni fontibus sibi aediculam eo loco, ubi nunc Monasterium extat, aedificavit; moxque permulti eximiis suis concionibus ac vitae austeritate illecti ad eum confluxerunt sub ejus ductu vitam eremiticam acturi, inter quos facile praecipuus fuit Placidus vir nobilis ac illius plagae Dominus. Hic dum Victoris Rhetiae Comitis tyrannidem argueret, ipsius jussu capite truncatus est, tùm, quod equidem narrant, truncus ipse in pedes erectus praecisum caput à terrâ sublatum panno que involutum secum, viam ad Magistrum suum S. Sigebertum relegens, detulit, et cum occurrenti sibi cuidam muliere insolitum ac triste spectaculum hoc obstupescenti porrexit, sicque sine capite ad illum venit, quo cum teorore simul ac summo dolore exceptus, propè aediculam suam sepultus est eodem loco, quo postmodum ipse tumulatus fuit*. Non dùm post itidem in honorem S. Placidi Ecclesia fuit constructa eique adjunctum Monasterium, quod piorum fidelium largitate et munificentiâ haud vulgare sumsit incrementum. Sunt qui velint, illud ab ipso S. Placido jam antèà fundatum fuisse. Non dùm port tamen scilicet an. 637. sub Childerico Francorum Rege ab Hunnis in omnem Rhetiam illapsis fedè devastatum fuit Monachis partim trucidatis partim fugâ dilapsis: postquam dein per 97. annos desertum stetisset Carolus Martellus an. 740. subsidiarias copias in auxilium Gregorii III. papae contrà Longobardos ducens inter ruderа collapsum

* Alii historiam hanc referentes de muliere, cui S. Placidus caput suum porrexerit, silent, ajuntque duntaxat ipsum illud immediatè ad S. Sigebertum attulisse. Similis historia de S. Gaudentio, cujus corpus Casaccae [: Casatch :] Brogaliae [: Borgalle :] vico in Ecclesia quiescit, et

restauravit: colère demò dispersi per Silvas Monachi, ac S. Ursicinum postà Curiensem Episcopum Abbatem dixerunt. Eidem suscepit S. Fello è Brigantia Comitum stirpe natus: hic favente Pipino Caroli Martelli filio an. 800. novam Monasterii fabricam moliturus est, quam successores sui perfecerunt. Majorum vestigia secuti Reges ac Principes Carolus, et Otto Magnus cum Adelaide conjuge coenobium hoc magnificis numeribus ditârunt. Verum post 533. circiter annos, videlicet an. 1333. Abbas Martinus de Sacco |: Sax :| ortis ipsum inter ac Urianenses dissidiis, infelici marte contrà eos pugnavit non sine summo Monasterii ac subditorum damno penéque exitio. Inter Abbates Disertinenses etiam celebrantur Petrus de Bultaninga |: Von Hultingen :| auctor Cani et primis Rhatiæ Foederis an. 1402. initi, et Christianus, quem Maximilianus II. Imperator an. 1570. S. R. J. Principem creavit, eique jus cudendæ monetæ concessit.

Circùm Disertinam excelsi montes occurrunt, in quibus sunt aris, ferri, et glarea seu pyritis fodina ad Monasterium spectantes, quæ ab aliquo tempore diligenter colunturr. Abbas Disertinensis Caput est non modò majoris Communitatis, quæ à nomine Monasterii sui Disertina nuncupatur, sedet totius Foederis Cani, necnon in illius publicis Comitiis seu Conventibus præsidet. Disertina Communitas quatuor Jurisdictionibus sive, ut ajunt, Tribunalibus Curialibus constat; suntque Disertina ipsa, Ætuatium, Brigelium, et Trona, quæ ad laevam anterioris Rheni jacent. Specialis autem Disertinensis Jurisdictio comprehendit præter Oppidum Disertinense vicos Sacum |: Sax :| et Segannum |: Sargans :| necnon Arces Brulfum |: Brulfo :| et Rigisam |: Rigis :|

Ex iis hi recensetur duntaxat Ætuatium seu Ætuatinus Vicus, antiquitùs Taxgetium |: Tavetsch :| Pagus ad occidentalem anterioris Rheni ripam non procul ab ipsius scaturigine situs lenâ Gallicâ ad Austrum à Disertinâ. Hujus Pagi nomen ab Ætuatibus seu Ætuatiorii populis, qui juxtà veteres geographos proximè fontes Rheni sedem habuerunt, derivatum videtur. Ab Italiis grisonibus |: Von Wolfgrau Bündtern :| incoliturr. In ejus valle magna occurrit Crystalli copia.

2ò Communitas Vartiensis |: Die gemeinde Waltrnöbürg :| Ordine secunda. Infra Disertinensem ad utramque anterioris Rheni ripam sita est, et complectitur

de pluribus aliis Sanctis Martyribus narratur. Hujusmodi historiis occasionem dedisse videntur sequioris ævi Pictores, qui horum Sanctorum Martyrum effigies adumbrantes, quò illorum Martyrii genus exprimerent, truncos manibus capita sua gestantes pingere solebant; unde vulgus arquere cœpit, illos præcisa capita sua secum detulisse, idque sub fide Pictorum duntaxat, quam vulgi opinionem quidam bumbationes Scriptores subinde amplexi operibus suis insecerunt.

Vurtium |: Waltmannsburg :| Saccum Superius |: Obersax :| et Laacum |: Laax :|

Notatur hic Vurtium |: Waltmannsburg :| Vicus ad sinistram anterioris Rheni ripam Disertinam inter et Flantium positus, 2. milliaris germanicis ad septentrionem à priori, et uno ad africum à posteriori, Caput communitatis. Circà illum commutur quatuor diuta arces eniguo spatio ~~interse distantes~~ à se invicem distantes.

Infra vicum hunc inter Alpes oriuntur balneum adeo frigidum, ut nec minuti spatio in eo quis manere valeat, imò multi illud intrare non possunt: turbidis oculis et surdis auribus mederi dicitur.

In illius Jurisdictione 5. vel 6. continentur Pagi. Abbas Disertinensis illis dominatur, atque omnes multa pecuniaria ad eum pertinent. Vurtii Collegium adest Judiciale 25. viris compositum, hi è suis quatuor populo proponunt, è quibus hic unum in Praetorem |: Ministral :| eligit.

3° Flantinum seu Hilliandae Villa |: Flantz vel Flant :| Urbs ad Rheni anterioris ripam sita tribus milliaribus germanicis versus Aquilonem à Disertina, et prima, quae in Rhaetia ad littus Rheni oriuntur. Caput est Communitatis, quae ab ipsâ nomen ducit, ac etiam Communitas fossae |: Die Gemeine Hondro Grub, La Communauté de la fosse :| à rotundo spacu seu fossâ, quae ibidem occurrit, vocatur. Circà eam trium Arcium ruinae visuntur. In eo spectabilis est, quòd, ubi eam tangit ordo, in illâ trium Rhaetiae Foederum Comitia celebrentur. Tribus Jurisdictionibus constat, nempè Fossâ seu Flantio, Schlowisa |: Schlowis vel Schlowin :| et Tenna. Sub prima comprehenditur ~~inter~~ Castris, et Valendaeum |: Valendas :| vici ad orientale littus inferioris Rheni positi, 2. Propè Valendum fonsest aquae bituminea, quae membra illorum, qui se eâ lavant, pingues efficit.

Propè Flantinum an. 1355. 12. Maji inter Rudolphum VI. Comitem de Montfort, et Ulricum Walthernum Baronem de Belmont Fluminis |: Flüms :| Flantii et Vadis Leguntinae* |: Lugnitzer-Thal :| Dominum initum fuit praelium, in quo, postquam diu anipiti marte pugnatum fuisset, tandem Belmontius victor evasit Rudolphumque cepit, qui, ut liber dimitteretur, binos filios suos Rudolphum VII. et Ulricum III. dedit obsides, qui carceris incommoda senserunt usque ad an. 1379. quo demum soluti fuere. An. 1484.

* Vadis Leguntina inter binos Rheni fontes sita est. Nomen trahit ab oppido quod Leguntinum |: Lugnitz :| munupatur, quod est Communitatis ~~Leguntinae~~ caput.

urbs hac in flammas abiit. In ea Italicum corruptum |: Chiowlyf :| in usu est.

4º Rezona, Rhetia ima, Rhatium Castrum |: Rhätzüns, Rhätzüns, Rätzüns, Ratzüns, Rätzüns, et Retzüns :| Castrum montanum Curiam inter et Fuerstenariam in finibus Tumiliasca vallis, ac ubi ambo Rheni rami junguntur positum cum titulo liberi Dominii, 2. milliaribus germanicis ad Septentrionem à Disertinâ et fermè totidem ad Austrum à Curiâ.

Communis opinio est Castrum hoc antiquissimum esse, et à Rheto Tusciorum Duce exitatum, ac nomine suo insignitum fuisse. Ad illud pertinent Rezona |: Rätzüns :| Bonaduzum |: Bonduz :| Amadesum |: Amadrò :| et quidam alii Vici, qui elegantem constituunt Tractum, cui olim proprii Barones Dominati sunt, qui, quantum scitur, an. 1459. extincti fuerunt. an. 1549. Imperator Ferdinandus I. Ditionem hanc emit pro 7000. florenorum, ac postmodum pro 14000. Joanni Planta |: Planta :| vendidit, cujus posteri illam possederunt; tandem iterum ad domum Austriacam pervenit, quæ ibidem habet Oeconomum.

5º Tumiliasca ~~vallis~~ veteribus Vallis Domestica |: Domlesch, Domlesch, Tümleschg, Tümlesch, et Tümlesch, Rhatiæ Tumiliasca :| Vallis fœcunda præsertim vini fertilis à Rezona Thusciam usque ad utramque Rheni posterioris seu superioris ripam porrecta. In ea olim 18. Arces extiterunt ad totidem Nobiles familias spectantes, quarum sex adhuc incolunturnimirùm Rezona, Tagisteinium, Athensteinium, Rindberga, Fuerstenaria, et Baldensteinium*; ceterarum rudera duntaxat supersunt. Vallis hæc etiam in Fœdus Casæ Dei porrigitur.

6º Thusia |: Thusis, Tessane Oppidum Urbi haud absimile Tumiliasca Communitas caput ad sinistram Rheni posterioris ripam situm 4. milliariis germanicis ad austrum à Curiâ. Tusci à Galis patriâ sua pulsi illud exitasse ac nomine suo insignivisse dicuntur. Hic anno 1608. Nicolaus Rusca Archipresbyter ob fidem Catholicam à Calvinistis ad mortem usque cruciatus fuit.

7º Coxiense, Caziense, seu Cauziense Cœnobium, vel Cazia |: Catz, Cazi, Ratz, Cox, Cauzes, Cazes :| celebre olim Monialium Ordinis S. Benedicti Monasterium unicum Vico sub monte, qui Frintzenberg

* Prænobilis Baldensteiniorum familia jam dudum in Episcopatu Basiliensi seu Principatu Bruntrutano sedem fixit, hodiernusque Episcopus tertius est, quien hac familiâ Principatum hunc possidet.

dicitur, positum lancâ gallicâ versus Aquilonem à Tusciâ. Monasterium hoc fundatum perhibetur an. 760. vel, ut alii volunt, an. 758. in honorem SS. Petri et Pauli à Victore Episcopo Curiensi è Comitibus Brigantinis pro Moniales Virginibus nobilibus, in quo et ipse sepultus fuit. S. Adalgerus itidem Curiensis Antistes circa an. 1155. illud de novo aedificavit sub Abbatissâ Gusâ de Schauenstein ipsius consanguineâ, postquam scilicet incendio vastatum fuisset. Demum, ubi plerique hujus Goederis Communitates Calvinismum seu potius Zwinglianismum amplexa sunt, Monasterium istud, expulsis Monialibus, pessundederunt, illinque reditus sui Goederis Tuleriis et Scholis assignârunt.

8.° Vallis Schoquina |: Schoquthal :| Sexamnium |: Sechsamb :| et Fuerstenaviam |: Fürstenau :| Communitates attingit. Ejus Longitudo est quatuor milliarium, latitudo unius et semi. In ea continentur arces Ortensteinium, Rietberga, Ehrenfelsa, Hasenburgum, et Cazia coenobium.

9.° Sexamnium |: Sechsamb :| Oppidum ad dexteram posterioris Rheni ripam situm 4. leucis gallicis versus Austrum à Tusciâ. Nomen tribuit Valli seu Communitati, quae ab ipso Vallis Sexamnia |: Schamsthal :| nuncupatur, ac utrumque Rheni littus occupat, neuonhinc et inde varios egregios vicos complectitur.

Ubi à Tuscia ad eam fit iter, per viam eundum est, quae mala dicitur et re vera est, inter rupes coarctata ad milliare protenditur, potiorique illius parte Rhenus sub terra occultus fluit.

Vallis haec satis fecunda est, celebremque efficiunt argenti aris et plumbi, quae in ipsis montibus occurrunt, fodinae. ~~adhuc etiam Stipii scaphidis fodinae~~ In quodam illius monte extat exiguus lacus seu potius stagnum Calandari dictum, quod ita angustum est ut ab uno ipsius littore ad alterum lapis projici possit, at fundo caret et exitu, aut saltem hic nulibi apparet. Cum alibi tempestatem coelum minitatur, tunc in illius medio magnus excitatur turbo cum tanto strepitu et murmure, ut ad sex milliaria audiatur. Ajunt quod virtute polleat animalia secus ipsum dormientia in sinum suum trahendi: mulierque satis procul ab ipso obdormierat, ad se traxisse et absorbuisse dicitur, cujus zona post aliquod tempus in Rheni littore quatuor ab hinc milliaribus, unacum clavibus suis reperta fuerit.

10.° Sub Sexamnio Valle etiam continetur Rhenana Vallis |: Rheinwald :| quae ab ista ad Rheni posterioris

fontes usque porrigitur. In ea sunt multi spectabiles vici, inter quos facilè eminet Spluga seu Speluga olim Trimenia |: Splügen :| Vicus iste ad sinistram Reni posterioris ripam situs est milliari Helvetico versùs Occidentem à Sexammio. In eo 200. circiter numerantur foci, et pulchra ædificia, estque sequestratorium mercium, quæ ab Italia in Germaniam devehuntur. Involas opulentos efficit frequens, quod exercent, commercium. Juniper à vectoribus, quas continuò Mercatoribus præbent, haud exiguum faciunt compendium, enimverò hic ultrà 500. equi plaustrales seu vectarii numerantur. Ab ipso Spluga mons |: Splügenberg :| nomen habet, per quem in Italiam patet via, quæ Clavennam usque ducit.

~~iii. Misaucensis Mesocx Mesocx Misaucensis~~

iii. Vallis Misaucensis |: Masocx-Thal, Masaúcx-Thal, sive die Gemeine des Masocx-Thal, La Communauté de la Vallé de Masox :| octava et ultima Superioris seu Cani Foederis Communitas, cui adjecta est Vallis Galaucana |: Galaucx- seu Galauchsocx-Thal :| In quatuor partes, quas Classes |: Escadres :| vocant, dispertitur. Ambæ ha valles simul sumtæ ampli sunt ambitûs: Misaucensis versùs orientem confinis est Comitatui Clavennensi, Galaucana verò Valli Glenia: hæ solum habet horridum et sterile, quare et illius incolæ egeni sunt, qui ægrè vitam tuentes alibi vel mendicatione vel quovis alio modo panem quærere aut lucrari coguntur; Misaucensis verò fertilis est vinumque et alios fructus profert, utpote Italiæ vicinior.

Olim Communitas hæ proprios habuit Comites, quorum Joannes Petrus nomine illam anno 1494. Joanni Jacobo Trivultio Mediolanensi vendidit. Is anno 1496. cum tota hac suâ Communitate Cano Foederi accessit. Demùm an. 1549. Incola libertatem omnimodam pro viginti quatuor "millibus aureorum nummorum |: gold-gulden :| summa à Comite Francisco Trivultio emerunt.

Communitas hæ nomen habet à Misauco |: Masocx :| vico, qui illius caput est. Olim hic extitit Castrum munitissimum loco angustissimo in excelsa et penè inaccessibili rupe positum sedes hujus regionis Comitum. an. 1521. vel 1526. exiscum fuit. Illius verò hodiedum adhuc extant.

§. II.

De Casa seu Domûs Dei Foedere.

Casa seu Domus Dei Foedus [: Gotths Haus = Bund ;] Ligue de la Caddée seu de la Maison de Dieu, La Lega della Caddea seu della Casa di Dio :] secundum Rhetorum seu Grisonum Foedus sic dictum, quòd Episcopalem Curiensem Ecclesiam complectatur, ac permulta illius loca olim ad eam pertinuerint, prout hodiedum adhuc quibusdam dominatur. Situm est ad orientem Foederis Cani, et versus septentrionem in utraque extrema parte hac velut furcam bicornem exhibet, intrò quam Decem Judiciorum Foedus potiori hâ parte continetur.

Foedus istud in undecim Majores Communitates, haque in viginti unam Minores dividuntur. An. 1419. Illius Insula praeeunte Curiensi Episcopo inter se se invicem Foedus pepigerunt, et post elapsos sex annos Cani Foederi accesserunt: cùmque an. 1497. Foedus Canum Septem veteribus Helveticis Pagis se junxisset, idem anno sequenti Foedus hoc praestitit.

Insularum non est unum idémque idioma: in Bragalia et vale Buschaviensi loquuntur linguam haud multùm ab Italicâ diversam; Curiae, Vatii [: Vatz seu Obro = Vatz :] et Aversae germanicè loquuntur; in reliquo Foedere specialis ex Latino et germanico composita lingua viget, quae in Engadinâ Ladin vocatur. In communibus Rhetiae Conventibus seu Comitiis Foedus istud, ut supra jam notavimus, ordine secundum est, necnon 24. habet Suffragia. Hic notari merentur

1º. Curia [: Chur live Cur, Rhetiè Coira et Coyr, gallicè Coire, Italicè Coira :] ~~Sedes Episc~~ Civitas et Sedes Episcopalis, olim Rhetiae veteris seu Superioris, modo totius Grisonum Regionis, praesertim Foederis Casa Dei Metropolis ad Plessur am [: Plessur :] fluvium in amoenâ et fertili planitie sub duobus montibus sitâ, semilenuâ gallicâ à Rheno, et novem circiter milliariis ad austrum à Feldkirchia ac 15. à Brigantia.

Originem ipsius quidam à Constantio ~~Chloro~~ Constantini Magni filio deducunt, qui adversus Alemannia Reges circa an. Chr. 353. vel 377. belligerans in hac plaga quae, ut ajunt, Campi Canini tunc vocabatur "castra" metatus est, Curiamque seu Aulam in tribus veteribus et nunquam Arcibus, scilicet Marsoila, Spinola, et Ybaburga, ibidem existentibus tenuit, hos junctis variis aedificiis in Urbem

excreverunt, quæ Curia nuncupata fuit, quod nomen toti idius districtui dein inditum fuit, ipsique Rhætia Curiensis dictus, ac postmodùm hucusque temporis Chuorwalacha seu Chuorwahala vocatus. Alii contendunt Constantium Urbem hanc ampliasse dumtaxat, utque jam diu ante ipsius tempora extiterit, ac Ymburgum nuncupata fuerit, eamque ipsam esse, quam Ptolomæus Alexandrinus Græcorum Scriptorum more mutatis paulò litteris Eborduum vocat. Quidquid ea de re sit, omninò verisimile est, jam ante Christi ortum locum hunc à Veteribus Rhætis inhabitatum fuisse necnon hucusque populis ac ædibus crevisse, et postmodùm Urbem propè Castrum Ybmmburgum [: cujus locum Prætorium Civile nunc occupat :] cui arces Marsoila et Spinoila accesserunt, exordia sua sumsisse; Castra hæc seu Curias primitùs Nobiles Rhætos, posteà Romanos Præsides, denùm Constantium Imperatorem incoluisse; quæ ~~alii~~ antis penes se ædificiis in Urbem excreverunt Curiam dictam. Ipsi quoque Curiensis Episcopi postmodùm in Arce Marsoila et eidem adjunctis ædificiis Curiam suam seu Aulam habuerunt, undè et totus horum ædificiorum ambitus jam ab antiquo tempore linguâ Rhætiâ Court, germanicè Hof nuncupatus fuit. Universa igitur Civitatis hujus circumferentia binas principales partes complectitur, una memoratâ Episcopi Curiâ, Ecclesiâ Cathedrali, Præpositurâ, et adjunctis Canonicorum Cathedralium ædibus componitur; quas muri, turres, et porta ab Urbe separant. Inter hæc ædificia, præter Marsoilam [: Marsorl. :] Arcem præcipuè celebratur pervetusta et spaciosa Cathedralis Ecclesia in rupe excelsâ posita, et à qua universum Casa seu Domus Dei Goedus nomen habet.

Altera pars principalis est ipsa Civitas. Tota Calvinismum seu Zwinglianismum profitetur ab an. 1526. quo Religio Catholica inde fuit eliminata. Hic videri meruntur Idem lapidei fontes Baptismales, Prætorium, Domus Mercatoria, et Armamentarium, item Ecclesia S. Martini, p. In ea viget commercium, merceque deponi solent, quæ ex Italia in Helvetiam et Germaniam deportantur. Ingenti civium numero et optimis ædificiis superbit.

Cæterùm Curia ab immemoriali tempore libera Imperii Civitas fuit, necnon variis iisque eximiis privilegiis ab Imperatoribus donata fuit, inter quæ jus cudendæ monetæ fuit. Anno 1498. ab Imperio desivit, fœdusque perpetuum cum Rhætiæ Communitatibus iniit. Variis etiam fatis obnoxia fuit, interque graviora

fuère pestis et incendia, quibus sæpiùs afflicta fuit; enimverò annis 1361. 1383. 1460. 1574. 1576. et 1624. pene tota in flammas abiit: pestis autem in ea grassata est annis 1361. 1550. 1556. 1592. 1593. et ab anno 1627. usque 1630. semperque potiorem civium partem è medio sustulit.

Anno 1528. inter Episcopum Curiensem, S. Lucii Abbatem, Musica [: Müß :] Arcis in Districtu Comensi Præfectum, seu, ut ajunt, Castellanum et Comitem Hohenensiensem, initum fuit consilium Civitatem hanc inopinato adoriendi: Calvinianosque sub Zwinglianos illius Cives opprimendi, at detecto hoc consilio S. Lucii Abbas abipsis captus morte damnatus est. Anno 1622. Lucantii [: Frättigowro :] Duce Gulero Austriacis illam eripuerunt, at hi anno sequenti eandem recuperârunt, quibus an. 1624. Galli et Helvetii sub Marchione de Coeuvres illam denuo eripuerunt, tenuerunteque usque ad an. 1629. quo ad Austriacos iterum rediit.

Episcopatus Curiensis omnium Germaniæ Episcopatuum antiquissimus habetur, voluntque aliqui illum ab Apostolo Petro fundatum ~~esse~~, primumque hic Episcopum ~~fuisse~~ constitutum fuisse S. Lucium, quem Coelii Britanniæ Regis, vel Simonis illius, qui Crucem Domini portavit, filium dicunt, qui ~~anno 176~~ in Rhætia Evangelium prædicârit, ibique martyrio coronatus fuerit. Alii verò hujus Episcopatûs initium circa an. Chr. 440. statuunt, primumque illius Episcopum Asimonem nuncupant, qui an. 451. Concilio Chalcedonensi interfuit.

an. Chr. 76.

Hujus Episcopatûs Dominium olim amplum erat, ac in universam Rhætiam porrigebatur, ad quam amplitudinem partim largitas Imperatorum Caroli Crassi, Ottonis I. et III. partim Episcoporum prospicientia præcipuè contulerunt: verùm successu temporum infaustis bellis aquè ac aliis fatis infelicibus, ad eam, in qua nunc degit, imminutionem redactum est. Egino hujus nominis IV. Curiensis Antistes primus ab Imperatore Friderico I. qui ab an. 1152. usque ad an. 1190. Imperii clavum tenuit, titulum S. R. I. Principis unâcum omnibus inde provenientibus prærogativis et juribus obtinuit.

Cùm autem postmodùm Episcopi Curienses ad Imperii et Circuli Suevici conventus admissi, comitia comparere neglexissent, an. 1642. Joannes Flug de Monte Aspero [: Aspremont :] in ejusdem Circuli Suevici Conventu, quod tunc Ulmæ celebrabatur de novo ad Comitia admitti cum voto et sessione petiit, et impetravit; unde et an. 1654. in Imperii Comitiis locum suum in Collegio Principum occupavit, ac ibidem edito Imperii Borcum recessui subscripsit.

q. Suevici,

Episcopus Curiensis à viginti quatuor Canonicis eligitur. Adeum omnes causæ Matrimoniales et Ecclesiasticæ Catholicorum Rhætiæ Communitatum tanquam ad Judicem competentem referuntur: quidquid etiam intrà ipsius Aulæ ambitum continetur, illius jurisdictioni civili æquè ac criminali subest. Dynastas seu Præfectos suos etiam habet in Arcibus Fürstenberga et Fuerstenavia, p. singulis quoque duobus annis Cavernæ vectigal participat. In Comitatibus, qui Ottonis et Eberhardi vocantur, jus venandi et forestale possidet, quod ab Imperatore Henrico IV. an. 1070. obtinuit. Jus cudendæ Monetæ, quemadmodum alii Imperii Principes, exercet. Inter Germanos ad Rhenum Episcopos primus fuit.

Non procul ab Arce Episcopali inter montana vineta extat celebre ordinis Præmonstratensis Cœnobium S. Luci dictum. Juxta hu eremitica duntaxat cella stetit, ex qua hucusque temporis Ecclesia, ac demum Benedictinum Monasterium subortum est, cujus fundator ignotus est: id duntaxat memoriâ proditum est, quemdam nempe Comitem de Bibrach an. 1140. eidem de piguibus reditibus providisse, necnon Præmonstratenses Monachos in illud introduxisse. An. 1330. grave incendii damnum pertulit, at postmodum restauratum fuit, eâque sumsit incrementa, ut an. 1453. ex Prioratu Abbatia factum fuerit autoritate Eugenii Papæ IV. An. 1529. hujus Cœnobii Abbas Theodorus Schlegel, quòd nefarii proditionis Civitatis Curiensis Calvinianorque Cives opprimendi consilii particeps fuerit, capite minutus est; tùm sensim ac sensim in eo Monachi defecerunt, ac tandem an. 1538. acceptâ à Fœdere Domûs Dei certâ pecuniæ summâ illud omninò desenerunt. Verùm an: 1630. Abbas Joannes Coppius illud denuò restauravit, ac in eo resedit: ab eo tempore semper inhabitatum fuit, necnon ante aliquot annos eleganter reconcinnatum fuit. In eo numerantur Abbas et quatuor duntaxat Monachi Præmontratenses.

2°. Quatuor Vici |: Die Vier Dörfer; Les quatre Villages :| Communitas dignitate secunda ad austrum Curiæ posita. Nomen habet à quatuor Vicis seu Pagis, ex quibus componitur. Horum tres ad dexteram Rheni Superioris collocati sunt, scilicet Ciceronium |: Zizers :| amplus Vicus seu Oppidum aquis mineralibus, quæ variis morbis medentur, celebre, et in quo Comites de Salis magnificum habent palatium. Igisium |: Igis :| in amœnâ et fertili planitie situm. In eo iidem Comites de Salis elegans habent palatium. Trimmis

sive Trimontium |: Trimmb:| Curiam inter et Ciceronium collocatus Pagus seu Oppidum ad montis radices Leucâ gallicâ versus septentrionem à Curiâ, cujus Incola partim Catholici partim Protestantes sunt. Horum trium Pagorum seu Oppidorum Incola Strumas habent, quibus adeò sunt assuati, ut eas velut corporis elegantiam astiment.

Quartus ad Sinistram ejusdem fluminis positus est, atque vatium seu Saeum Inferius |: Undervatz seu Undervatz:| nuncupatur.

3.º Ortensteinum |: Ortenstein:| Arx vetustissima in Tumiliascâ Curiam inter et Fuerstenaviam ac in rupis apice posita. Ajunt illam à veteribus Leponticis fuisse exaltatam. Olim Sedes fuit Baronum idem Tractui dominantium, à quibus an. 1527. Incola libertatem suam redemerunt. Ab hac Arce circumjacens Districtus nomen duxit, necnon Judicium seu Communitas Ortensteinensis nuncupatur.

4.º Fuerstenavia |: Fürstenau:| Arx munita in Tumiliasca ad posterioris Rheni ripam, "sita" tribus milliaribus germanicis versus Austrum à Curia. Unanum tractus ad Episcopum Curiensem pertinet. Ab Antistite Henrico De Montfort exaltata fuit.

5.º Vatium |: Vatz seu Obervatz:| Communitas Ortensteiniensi orientalis. quatuor vicis constat, suntque Bergunum |: Borgun:| Latium |: Latsch:| Stulzium |: Stulz:| et Valis Aurea |: Valsüs:| adeam etiam pertinet Greiffenstenium |: Greifenstein:| vetus et diutum castrum prope Vadem auream situm. Communitas hac etiam Ditio Bergunensis |: die Herrschaft Borgun, La Seigneurie de Bergun:| vocatur. Ab ea olim nuncupata et celebris ac Nobilis familia, quae ex Ditionibus illis seu Communitatibus, quibus Decem Judiciorum Foedus componitur, octo possedit, atque circà medium Saeculi XIV. in personâ Donati extincta fuit. Postmodum ipsius Ditiones ad Comites Toggenburgenses devolutae sunt, post ad Comites de Metsch, et ubi hi an. 1489. etiam decesserunt ad Domum austriacam, à qua an. 1649. libertatem suam pecunia summa redemerunt ~~[illegible]~~ earum incola.

6.º Bivium |: Stalla, Italice Bevio:| Communitas duabus constans jurisdictionibus, Bivio nimirum et Averscâ vade sub Septimo monte |: Septimer Berg:| positis, nemon jurisdictionibus Eremusiensi |: Bremb:|

Celinensi |: Celino :| et Sammensi |: Samum :| quæ à prioribus procul sunt, atque in Inferiori Engadinâ existunt.

Communitas hæc Biviè nomen accepit à duabus viis, quæ in ea occurrunt, una per montem Septimum in Bregaliam |: Bergell :| Ducit, altera per Alpes Julias* in Engadinam |: Engadin :| Vallis Aversa |: Avers :| aspero et horrido loco posita est quemadmodum Bivium, à quo illam Septimi montis ramus separat. Hæc Jurisdictio Septem parœciis constat. Duola Speciales habuêre Dominos Episcopi Curiensis Fiduciarios; verùm jam à longo tempore libertatem suam redemerunt.

* Hæ Alpes juxta Septimum montem positæ admodum excelsæ sunt et præruptæ, ut hyeme ferè sint impermeabiles: ex iis omnis fluvius oritur. unde autem Julia dictæ sint, id nobis ignotum. fortè Julius Cæsar illas transmeavit. Porrò Alpes illæ propriè Julia dicuntur, quæ apud Venetos sunt, per quas nempè Julio et Octaviano Imperatoribus via facta est.

7.° Bregalia seu Bregallia |: Bergell seu Bergell :| Superato verùs austrum monte Septimo occurrit hæc Communitas, quam Veteres Bregaliam nuncupârunt, quod in confiniis Gallia Cisalpina sita fuerit. Quidam tamen volunt, ipsius latinum nomen Bræjuliam esse, quod illi ideò inditum fuerit, quia sub Alpibus Juliis jacet.

Bregallia ampla vallis est juxta longitudinem suam ab oriente ad occidentem porrecta. Eximia privilegia ab Imperatoribus obtinuit, et ab immemoriali tempore libera Imperii Regio nuncupata fuit. In binas Jurisdictiones dividitur, quæ in loco, cui Porta ~~dictam~~ nomen, junguntur. Plures sunt illius parœcia: Supra Portam numerantur Casacia |: Casaccia :| Vicus sub monte Septimo positus et ob corpus S. Gaudentii, quod ibi quiescit, celebris, in hujus S. Martyris honorem hic Cœnobium fuit exstructum, cujus ædificia adhuc visuntur. Piazza, Fanum S. Cassiani, Stampa, Cultura, &c. Infra Portam sunt Solium |: Bolg seu Böy, Soglio :| Castalegna, Bondum, &c.

Vallis hæc est fertilissima, nec non jam quodammodò pulchrum et suave Italia clima participat. Montes Septimus et Majolus illam adversùs impetuosum et frigidum Aquilonem tuentur. Mera seu Maira fluvius, quem bini fontes in iis duobus montibus scaturientes efficiunt, illam irrigat. Memorabile admodum est, quod in ea de mane Eurus usque ad meridiem plerumque spirat, à Meridie verò Zephyrus sequatur, qui etiam ad vesperam usque perdurat.

8.° Casclavium |: Chiclaf, Puschiavo :| Amplum, populosum et amœnum Oppidum ad ripam ejusdem fluvii nominis fluvii, et propè lacum piscosum collocatum. Caput Communitatis, cui nomen tribuit.

9.° Engadina |: Rhetiè Engadin, gallicè Engadine, seu la vallée de l'Inn, Germanicè Innthal, vel juxtà veterem Germanorum dialectum Inngadin, ex quo

vocatur Engadina facta fuit. Aliqui illam Caput Oeni, Rhaticè En Code Dno nuncupant.

Engadina magna vallis est, quæ ab Austro ad aquilonem et ab Oeni fontibus juxtà flumen istud ad 15. vel 16. milliaria porrigitur. Alpibus Julius à Bragadiâ et Communitate Biviensi separatur. Horrida et frigida est regio; attamen in ea occurrunt pulchra viveta et præstantia pascua, necnon plerisque locis agri fertilissimi; cùm enim summis duntaxat montium apices nive canescant, partes inferiores optimum et pinque gramen proferant.

In binas partes dividitur Superiorem nempè et Inferiorem, quarum quælibet integram Communitatem efficit. Superior dennò bifariam dividitur; illius pars Superior septem continet parœcias, altera quatuor. Engadina Superior olim proprios habuit Comites; postmodùm anno videlicet 1139. Comes Adalricus illam Episcopo Curiensi pro summa 800. marcarum argenti et 60. unciarum auri puri reliquit. An. 1494. Incolæ libertatem suam pratio 900. florenum emerunt.

Inferior Engadina etiammum in binas Jurisdictiones partita est; Prioris sunt quinque parœciæ, Posterior quatuor continet, quarum tres Goederi Casa Dei adjiciuntur, quarta verò scilicet Taraspinensis seu Tricaspinensis |: Tarasp seu Trasp: | extrà illud sita est, atque ad Domum Austriacam pertinet: hoc nomen habet ab Arce Taraspinâ sive Tricaspinâ in colle ad dexteram Oeni |: Inn: | fluminis ripam collocatâ, et munitionibus instrutâ, in qua Castellanus seu Præfectus Austriacus residet.

Quatuor Domini Inferioris Engadinæ jurisdictionem participant, nimirùm Episcopus Curiensis, Comes Tyrolis, Maria montis Oenotilm* |: Marienberg: | et Monasterium |: das Closter Münster: |

In extremis Engadinæ Inferioris finibus tres parœciæ occurrunt, nempe Eremusinum |: Kamüs: | Celinum |: Celino: | et Sanunum |: Sanun: | quæ pars sunt Communitatis Biviensis |: quod supra jam annotavimus: | necnon Episcopo Curiensi parent.

Si Plinio fides Antiquitùs Engadinam incoluêre Vennones et Sarunetes populi. In belli tumultibus Regio hæc multis calamitatibus pressa fuit. An. 1499. circà festum Pentecostes octies mille Athesii et Tyrolenses inventes eam rapinis et incendiis devastârunt, impera-

* Maria Mons Monasterium Benedictinum in excelso monte positum milliari germanico ad Oeni ostium à Malsa non procul ab Athesis |: Etsch: | fluminis scaturigine.

tâ etiam Suolis ingenti secundarum vi, quæ Sonei exhibe-
rentur, triginta tiras ex illis præcipuos velut obsides secum ab-
duxerunt Meranum. At ubi Grisones Athesios [: Etsch-Cän-
der:] adorti eorum 4000. in Campo Mallano cæciderent,
urbemque Glorium, necnon præcipuos Athesia vicos diri-
puissent et incendissent, tum Athesii ex hac strage in
impotentem acti furorem Engadinorum obsides Merani de-
tentos ad unum omnes trucidârunt, velut accepti damni vin-
dictam sumturi. In Grisonum tiesbinibus et Valli
Telina bellis Austriaci Engadinam invaserunt ac diri-
puerunt: illatum damnum ulturus Grisonum Bellidux
De Salis an. 1622. in Montafunensem vallem irrupit,
indéque Austriacos expulit, turrem et pontem S. Martini
occupavit, necnon 4000. coronatorum Suolis imperavit:
id ægrè ferens Archidux Leopoldus, quamvis jam Linda-
via De pace ineundâ ageretur, inopinatò in Engadinam
irruit, pulsisque Grisonibus omnia ferro flammâque
misuit.

10. Monasterium [: Münster:] Vetus et opulentum
Nobilium Ordinis S. Benedicti Monialium Cœnobium
in Confiniis Athesii agri et Comitatûs Bormiensis si-
tum, à Carolo Magno in honorem S. Joannis Baptistæ
fundatum. In bello, quod an. 1499. Maximilia-
nus I. contrà Helvetios gessit, Monasterium hoc incensum
et devastatum, ac posteà restauratum fuit.

Valli, quæ ab ejusdem nomine Monasteriensis [: Münster-
thal:] vocatur, in binas dividitur Jurisdictiones, in
quarum prima Cœnobium hoc positum est, ac cæsia
prædia necnon subditos possidet. In hac Jurisdic-
tione nullius bona fisco adiuntur. Causas crimi-
nales Præfectus seu Castellanus in Arce Fürstenbergâ
residens, et ab Episcopo Curiensi institutus unacum
Prætore, quem Ministralem vocant, dijudicat:
multæ ad Castellanum pertinent. Alte-
ra Jurisdictio pendet à Comitibus Tyrolis, in qua
merum habent imperium.

§. III.

De Fœdere Decem Judiciorum.

Fœdus Decem Judiciorum [: Zehen Gerichts Bund:]
sic dictum, quòd ex decem Communitatibus cons-
tet, quæ tot Judicia dicuntur. Ad Orientem et
Austrum Fœdere Domûs Dei, ad Occidentem eodem

Goedere et Comitatu Saruneto, et ad Septentrionem Comitatibus Feldkirchensi et Bonnenbergensi seu Rhudentino claditur. Plaga hac communiter Rhetigoja |: Gotthigau :| nuncupari solet, quamvis Rhetigoja propriè nonnisi tres hujus Goederis Communitates complectatur scilicet Claustrum |: Kloster :| Castellum |: Castels :| et Rheriam |: Schiers :| Hic notari meretur

1.º Davosium |: Davos seu Dafaab, et Tafaab :| anterior et præcipua hujus Goederis Communitas ad orientem sita. ~~Nomen habet~~ Nomen habet à principali ejus oppido, quod in summis Alpibus positum est ac Fanum S. Joannis ad Davosium |: St. Johann auf Davos :| nuncupatur.

Communitas hæc populis frequens est, et quamvis solum habeat satis horridum, aëréque in ea frigidus et asper spiret, æstatis tamen tempestate quamdam præfert amœnitatem. Duo exigui lacus, qui in ea occurrunt, pisces abundanter subministrant præsertim quamdam truttarum speciem quas vulgò auratas vocant. Ibidem etiam offeruntur argenti, æris et plumbi venæ. Quamvis ampla satis sit, unicam tamen habet Parochiam et unicum Tribunal, Ecclesia parochialis in oppido S. Joannis sita est, præter illam adhuc tres aliæ in ea numerantur, nimirum Ecclesia S. Theodori, S. Nicolai, et B. V. Mariæ. Mons Scaleta dictus illam ab Engadina separat, in quo fluvius oritur, quem Eruditi quidam unam è Rheni fontibus esse existimant. In viginti, ut vocant, Vicinias dividitur, quæ plerumque non sunt nisi vites pagi, vel etiam hinc inde dispersæ villæ. In oppido S. Joannis plerumque hujus Goederis Conventus aguntur, et etiam alternatim, quemadmodum Curiæ et Plantii totius Grisonum Reipublicæ Comitia celebrari solent. Hujus Communitatis Dominium utile possident Archiduces Austriæ tanquam Comites Tyrolis.

2.º Alvinovum, seu Alvum novum, et Alvanio |: Alvenau, Alfenau, et Alvenan :| amplus vicus ad ripam Albulæ in confiniis Goederis Casæ Dei situs 3. milliariis germanicis ad Euronotum à Curiâ. Caput est unius è septem præcipuis Communitatibus, ex quibus Goedus Decem Judiciorum componitur, et cui nomen tribuit. Communitas hæc etiam alio nomine Belfordiensis à Belfordio |: Belfort :| castro; vel etiam

interdùm Corvantiana |: Churwalden :| ab ejusdem nominis valle nuncupatur. Propè Vicum hunc occurrit Balneum, cujus aqua sulphur impregnata est, ac scabiei et similibus inter cutem et carnem sedentibus morbis medetur; vocatur Balneum Algonovanum, seu Alvaniense.

3º Vallis Corvantiana |: Churwalden seu Churwalden :| sita est in Communitate Alvaniensi ad austrum Curiæ, à qua etiam nomen habet, ac Vallis Curiæ |: Thal Von Chur :| dici posse videtur. Ejus caput est Corvantia seu Corvantium |: Churwalden :| Urbs exigua ad flumen, qui Rabus vocatur, sita milliari Germanico ad austrum à Curiâ. Istius Insula partim Catholici sunt partim Protestantes. In ea extat Coenobium, quod olim Praemonstratensium fuit an. 1167. à quodam Barone de Vatz fundatum.

4º Rhætigoja, Rhætica Vallis, et Regis Incantiorum, germanicè Hortigau, Hortigow, Hrättigöw, Bortigau, Bortaugaw et Hortigau?, quod nomen à Rhetigaux latinè Rhetigoja corruptum est. Nomen trahit à Rhætico monte. Septentrionalem Decem Judiciorum Foederis plagam occupat, illámque Rhetius mons |: Rhætico :| à Comitatu Brigantino separat. Longa Vallis est sub dicto monte posita, quam Langarus |: Langquart :| fluvius interfluit, qui in hujus montis apice, loco, qui Pelea-Rhæta dicitur, ortum habet, et suprà Majavillam in Rhenum incidit. Hyemis tempore Vallis hæc nivibus penè clauditur, mafraque niveæ è montibus ruentes sæpè magna inferunt damna.

Antiquitùs huic Valli dominati sunt Barones de Vatz, quibus sub finem Saeculi XIV. extinctis successit Friderius Comes Doggenburgensis, cujus filio Ulrico prosapia hujus ultimo an. 1436. è vivis sublato Ulricus Comes de Metsch Austriacus Atheniis Praefectus illam titulo hereditatis obtinuit: anno deinde 1504. Gaudentio ultimo Comite de Metsch demortuo merum illius imperium ad Domum Austriacam devolutum est, quod usque ad an. 1649. possedit, tùm enim Archidux Ferdinandus Carolus acceptis 75000. florenis Incolas à fidelitatis juramento, quo ipsi erant obstricti, ab-

solvit, ac liberos homines declaravit, quod etiam Ferdinandus III. Imperator ratum habuit.

Rhatigoja in tres amplas Communitates distribuitur sunt que Claustrum [: Kloster, seu Closter thal :] Castellum [: Castels :] et Acerio [: Vipitenb :]

Claustrum seu Claustra valdis [: Kloster seu Closterthal :] in confiniis Brigantini Comitatus sita est, à quo Arula* mons [: Arlberg :] idem separat. Illius longitudo est duorum milliarium. Nomen habet ab oppido, quod Claustrum [: Kloster seu Closterbrin :] nuncupatur.

Castellum [: Castels :] Communitas variis ad utramque Langari ripam collocatis pagis constans. Nomen habet ab ejusdem nominis arce quæ propè vicum, qui Italicè Poggio, germanicè Hügel, et Latinè Collis dictus, posita est. In quadam hujus Communitatis valle semi milliari à vico Fideris nuncupato oriuntur fontes minerales, qui multum æstimantur, ut quibus victus varios sanandi morbos tribuatur; aluminis, cupri chalcanthi, p. particulis sunt impregnati, colorem et saporem vini habent, variisque modis ad balneum aptantur. An. 1545. Balneum istud irruentibus cataractis aquis inundatum fuit, et adjuncta ædificia diruta, at brevi post restauratum fuit.

Acerio [: Vipitenb, seu Sypitenb :] Communitas, in qua Cathedrales Canonici Curienses prædium possident, ac illorum Præpositus satrapam constituit. Constat duabus Parœciis, Acerio nempe [: Vipitenb :] et Luoprato [: Brixen :] Hæc intra montes posita est, eique vicus nomen tribuit, in quo anno 1622. 24. Aprilis Beatus Fidelis Cl. Capucinorum Protomartyr à Calvinistis Grisonibus ob fidem Catholicam interfectus fuit. Non procul à Luoprato [: Brixen :] vico oriuntur Balneum, quod variis morbis mederi dicitur, aqua illius auro, sulphure, chalcanto, p. impregnata est. Locus, in quo extat, Cany vocatur. Ad Langari fluminis ripam sunt Pagi Fenas, et Valdissana [: Valsein :] Valdissanæ Communitatis Magistratus residet.

5.u Communitas Majavillensis [: Mayrnfeld :] procul à montibus à Rhætia valle sejungitur, qui nonnisi angustam ad illam relinquunt viam, quæ Clusa nuncupatur. Solum habet amœnum aëremque salubrem, hæque fertilitate omnes Rhætiæ Communitates longè antecellit, præcipuè autem vineta habet vinum exquisitum abundanter proferentia. Duabus constat partibus, Malantiana videlicet et Majavillensi; hæc ipsi nomen

* Arula [: Arlberg :] pars est Rhætica rum Alpium, et juxtà quorumdam opinionem sita est Walgoviam inter et Athesinum agrum. Nomen habet à veteri castro, cui nomen Arli. Illius ascensus est duarum horarum et descensus totidem. In illius summitate quatuor diversi Episcopatus conveniunt, siliet Augustanus, Brixinensis, Curiensis, et Constantiensis. Ibidem Comes Ulricus de Moscek an. 1396. pro iis itinerantibus hospitium excitavit.

tribuit. Olim proprios habuit Dominos, illiusque primus postator fuisse dicitur Liber Baro de Vatz, tum ad Comites Doggenburgenses hereditatis titulo pervenit, et ubi an. 1436. Stirps hac in personâ Comitis Ulrici defecit, illius possessionem obtinuit Liber Baro de Brandis per conjugem suam Veronam è Comitibus de Werdenberg. Denique an. 1509. tria Rhatia Foedera regionem hanc pro ingenti pecuniarum summa emerunt, simulque Inolis privilegia sua et immunitates confirmârunt. Anno quoque 1537. Bafram, ut vocant, Malantiane communitatis jurisdictionem pro decem circiter millibus florenorum compararunt, sic utriusque hujus communitatis absoluti Domini evaserunt.

Malantia |: Malantz seu Malanb:| pulchrum oppidum leuâ gallicâ ad Orientem à Rheno, et ad Euronotum à Majavilla disjunctum sub exitu Langari fluminis. Ab exquisito vino, quod solum ejus profert, celebratur. An. 1684. totum in flammas abiit, at mox eleganter fuit restauratum.

Majavilla |: Mäyenfel, Majenfeld, seu Mäyenfeld:| Urbs cum Arce, Caput quinta Grisonum Communitatis, cui nomen impertitur. Nomen habere dicitur à Dea Maja Mercurii matre, cujus Templum seu Statua Ethnicismi tempore hîc extitisse dicitur. At Tschudius memorat urbem hanc antiquitùs Lupinum vocatam fuisse.

Pulchra est ad Rheni ripam sita tribus milliariis Germanicis ad Septentrionem à Curia, loco amoeno, quem montes vinetis superbientes amphitheatri specie circumdant. Venusta in illa occurrunt aedificia, Templum S. Lucio dicatum, Arx, in qua Praetor residet, palatia Bruggerense, Salisiense, et Gugelbergense videri merentur: adsunt etiam elegantes Campona.

In bello Suevico an. 1499. Grisones Urbem hanc praesidio munierunt, at Baro de Brandis Vadisdulcis |: Vaduz:| Dominus, qui ab Austriacorum partibus stabat, illam proditione obtinuit, deletoque praesidio centum Wallgoviensis |: Wallgöwer:| qui ea reliquit; at brevi post Grisonibus ad arbitrium se dedidit, qui Wallgoviensis in ea praesidii loco existentes captivos Curiam abduxerunt, quatuorque cives illos prioris proditionis auctores capite damnârunt. Pace dein conclusâ Majavilla Grisonibus relicta fuit.

In Rhaticis tumultibus an. 1621. Austriacus Chiliarcha Balderonius |: Balderon:| Urbem et Arcem occupavit, civesque exarmavit; verùm sequenti anno Rhatigojenses illam obsederunt, cassisque copiis, quae obsessis subsidium ferre volebant, ~~capiis~~ pactis conditio-

ribus obtinuerunt. An. 1623. Archidux Leopoldus denuò illam occupavit, at anno sequenti Galli sub Marchione de Coeures et Helvetii illam recuperarunt.

Singulis duobus annis Grisones Majavilla Præfectum constituunt, qui Italicè nomine Podestà vocatur, et causas criminales judicat, mulctas, confiscationes, et vectigalia recipit. Attamen Majavillenses et Malantiani hanc Præfecturam æquè participant ac reliqua Grisonum Foedera, et ubi eos tangit ordo, à suis hic Præfectum constituunt: Quinimò Urbs hæc libera est, necnon à Prætore et duodecim Senatoribus regitur.

Majavilla gloriatur se cæteris Grisonibus exemplo præivisse ad amplectendum Zwingliannismum, quem Jacobus Barkli Tigurinus Præco an. 1521. in illam introduxit.

Fraliscum [: Fläsch :] Oppidum ad Rheni littus positum milliari Gallico ad Septentrionem à Majavilla, vinetis optimis et thermis salubribus celebre. An. 1622. Austriaci illud incenderunt, at octoginta quinque Rhætigojenses fraxinis suis fustibus ita illos exceperunt, ut eorum quadringentos trucidarint, et ultra duentos in Rhenum præcipites egerint.

Aliquot adhuc Pagi in hac Communitate numerantur, nimirum Revena, Gurcha, Stuvis, item Regio S. Lucii, quæ cavam viam exhibet in adita Rhætiæ.

§. IV.

De Comitatibus Clavennensi et Bormiensi, necnon Valle Telina.

Triplex hæc ditio propriè unica dumtaxat Vallis est sub Alpibus Rhætiis* in longum porrecta. Ipsius longitudo ab occidente ad Orientem est circiter 60. milliarium Italicorum; latitudo autem admodum est inæqualis, alicubi enim ultrò unum aut duo milliaria germanica hæud protenditur; alibi verò ad sex vel septem. Limites ejus sunt ad Orientem Tyrolis, ad Meridiem Dominium Venetum et Ducatus Mediolanensis, ad Occidentem Foedus Canum, et ad Septentrionem Foedus Casæ Dei. Olim pars erat Ducatus Mediolanensis et primùm an. 1513. dono Maximiliani Sfortiæ Ducis Mediolanensis Rhætorum facta est, quod donum Franciscus I. Galliarum Rex Ducatum hunc, ejecto Maximiliano, adeptus ultrò confirmavit.

Vallis hæc populis frequentissima est, ac in ea usque Ducenta Parochiales Ecclesiæ numerantur. Post lamenam, quam an. 1620. Catholici hic in Calvinistas exercuerunt, sola Religio Catholica viget, ~~et solus~~ liberum tamen est Calvinistis veteribus hujus regionis incolis,

* Per Alpes Rhæticas [: Die Rhätischen Alpen, les Alpes Rhétiques, aliàs etiam Tridento [: Trient, Trente, Trento Tyrolis Urbe Alpes Tridentinæ die Tridentinischen Gebürg, les Alpes Tridentines dictæ :] olim intelligebantur Alpes illæ, quæ à monte S. Gothardi usque ad fontes Dravi [: Drau :]

qui ibidem adhuc bona quædam possident, sex hebdomadem spatio in ea demorari, quod tamen priùs Magistratui significare tenentur; nullum tamen ipsis permittitur Religionis suæ exercitium, ac toto insolatus sui tempore apud vicinos ejusdem semper fidei Rhætos sæpe frequentare cogunturq.

Comitatus Bormiensis, utpotè prealtis cinctus montibus, equidem solum habet paulò rigidius, at contrà Comitatus Clavennensis et Valdi Telina venustate et fertilitate nullis Italiæ provinciis cedere videntur. In iis varia frumenti species metuntur, arbores eximios fructus edunt, vites optimum vinum, quod Imperator Augustus cæteris omnibus prætulisse dicitur, reddunt, illarumque uvæ mirae sunt magnitudinis, inter quas reperiuntur aliquæ 450. usque 480. bacis superbientes. Adest etiam quædam vini species, quod Aromaticum vocatur, amœnum est et aquè validum ac vinum adustum. In montibus pecorum et ferarum greges pabulantur. Denique lacus Comensis et fluvii grati saporis pisces subministrant. Adda seu Adda |: Adda :| fluvius, qui in Braulio** monte oritur, Bormiensem Comitatum et Vallem Telinam perfluit, ac demum lacui Comensi immergitur. Fluvius iste multum commodi hisce Tractibus præstat, verùm frequentibus suis inundationibus eisdem etiam multum detrimenti infert.

Quod ad harum regionum Incolas attinet, verè de illis affirmari potest, quòd, cùm in aditu Italiæ sedem habeant, Religione, moribus et dialecto sint Itali. Hæc de tribus hisce Dominiis seu Regionibus generatim, modò breviter singulas expendimus.

I.

De Comitatu Clavennensi.

Comitatus Clavennensis |: die grafschaft Cleven, Clevin, et Cläuv, Le Comté de Chiavenne, la Contea di Chiavenna :| totius magnæ vallis plagam occidentalem complectitur, ac limites habet ad orientem Vallem Telinam et partem Foederis Domûs Dei seu Bragadiam, ad Austrum Tractum Comensem, ad Occidentem Foedus Canum, et ad Septentrionem idem Foedus et partem Foederis Domûs Dei. Inter prealtos montes situs est, ac tribus vallibus componitur, quarum una versus Septentrionem ad Bragadiam, altera versus Meridiem ad Comensem lacum, et tertia versus Foedus Canum usque ad Spluegam Montem |: Splügen :| qui pars est

qui in Tyrolì ac confiniis Carinthiæ à Laun supra montem posito non procul ab urbe Innecho |: Innichen :| in Braneranâ seu Rusteranâ valle |: Brauneror- vel Ruster- Thal :| scaturit, porrigunturq. Maximo autem harum Alpium pars sub Adulæ seu Atturlæ veniebat nomine: hoc quippe nomine, quod supra jam annotavimus, non modò unus, sed plures montes insigniebantur, ut Mons S. Gothardi, Crispaltus, Braulius, p. Recentiores Auctores, qui latinè scribunt, præsertim Galli, per Alpes Rhæticas communiter Montes Helveticos intelligunt.

** Braulius mons |: Brauliö=Berg, et Wormser Berg seu Worms :| inter montes, quos Veteres Rhæticas Alpes vocabant, præcipuus, situs est in confiniis Tyrolis prope Bormium |: Worms :| urbem. alio nomine etiam Juga Rhætica dicitur. Earum via est in Tyrolim sive Vallem Venustam |: Vingstgau :|

Adula, porrigitur. Nomen habet à Clavi, quòd Arx in eo posita olim, ùm nempe adhuc munita erat, velut clavis in Italiam fuerit. Præcipuè in binas Dynastias seu Præfecturas distinguitur, Clavennensem scilicet et Plurienseem.

Prioris Caput est Clavenna |: Clówn, Chiavenna, Chiavenne :| urbs totius quoque Comitatus metropolis antiqua et pulchra ad littus Maira |: Mara :| fluvii submonte et in agro, quem optima vineta tegunt, posita milliari Helvetius ad Septentrionem à Lacu Comensi. Populosissima est, pulchrisque ædificiis tot elegantis Architecturæ velut monumentis ornata. Inter ea eminet Præfecti seu Commissarii à Grisonibus constituti palatium. adsunt etiam novem Ecclesiæ seu intra, et tres extrà muros, earum præcipua S. Laurentii vocatur, cui Archipresbyter omnium totius Comitatus Ecclesiarum Superior unàcum sex Canonicis præest.

Præfectus seu Commissarius causas Civiles æquè ac Criminales judicat; politiam verò curant quatuordecim viri à Civibus singulis annis plerumque per sortem electi. adsunt etiam rei militari præfecti et Centuriones, qui 1000. Selectos milites sub se habent. Hac frequens est exterorum Mercatorum ab Italiâ et in Italiam transitus, quibus equi Sagmarii præbentur, quorum ope illorum consarcinata merces per montes transferuntur, undè Clavennensibus haud exiguus quæstus obvenit, major adhuc ex commercio, quod apud ipsos apprimè viget.

Anno 1525. Joannes Jacobus de Medicis Misa |: Miß :| Arcis ad Lacum Comensem Sitæ Præfectus seu, ut ajunt, Castellanus Clavennam deditione obtinuit; at anno sequenti Grisones illam denuò obsederunt et ceperunt, murisque nudarunt, et Castrum demoliti sunt. An. 1621. Hispani seu potius Vallistelinenses, qui tùm ab Hispanorum seu Mediolanensium partibus stabant, illam occuparunt; verum an. 1626. Marchio de Coeuvres cum Gallis et Helvetiis equis eam denuò recuperavit. Tandem an. 1636. unacum Comitatu Grisonibus reddita fuit. Nobiles Castelazzi et Stupa hic ortum habent.

Olim validis mœnibus erat instructa, quæ jam corruerunt, illius arcem Grisones an. 1526. quod jam diximus, demoliti sunt. Auram habet amœnam et puram nisi cum collibus spirat auster, qui è Lacu Comensi veniens aërem humidis densisque nonnunquam insalubribus vaporibus implet. Non procul abea fons est S. Mauritii dictus, qui saluber esse dicitur.

Alterius Dynastiæ Caput est Blusium [: Blüsb, Blens, Blüs :] Oppidum. Jam ab antiquis temporibus nomen habet à ploratu seu lacrymis, quas incolæ superstites interitu fuderant, cum scilicet aquarum inundatione et aliquot ripium lapsu penitus obrutum fuit. postmodùm ad ripam Mairæ [: Mera :] fluvii propè Belfortium [: Belfort :] Castrum milliari gallico versùs aquilonem à Clavenna aliud ~~illius~~ amplum et magnificum illius loco exitatum fuit. Loci venustas, soli bonitas, aura pura et salubris, nitèque regimen multos Mercatores in illud attraxerant, ubi plerumque in summo æstatis calore demorari et obleutamenta capere solebant; unde et magnificis palatiis illud exornârant; inter alia aderat palatium familiæ Graneorum, quod multis millenis millibus florenorum steterat: verùm an. 1618. triti quodam cum hæc omnia magnifica ædificia momento diruta et sub ruinis suis sepulta fuère; enimverò 25. Augusti vicinus petrosus mons solutis compagibus deiudens infelix Oppidum illud penitùs obruit ita, ut nec unica persona, quæ terribilis hujus infortunii nuntia esset, evaserit. 1500. vel 2000. animarum ibi periisse ajunt. Clavennensibus etsi vicinis id prius haud innotuit, quàm ubi advertissent ipsorum fluvium arefieri, enimverò intra trium horarum spatium nec aquæ guttula ad eos pervenit, mons quippe ruens ab alto fluvium cohibuerat, illiusque unum aliò diverterat.

Varii Pagi unacum Blusio Communitatem efficiebant, ujus ipsum Caput erat, quo proindè illius nomen adhuc retinet, quamvis modò nonnisi exiguus vicus sit. Præcipui sunt Cilanum [: Cilano :] cui Arvius sit. imminet; Polinum [: Polino :] Roncalia [: Roncaglia :] et in montanis Davonium [: Davoaio :] Dasilis [: Dasilis :] Carrotum [: Carroto :] &c.

In his montanis fodina ocurrit specialis arjusdam lapidis, ex quo urnæ, ollæ, cacabi, mortariola, aliaque vasa tornantur: ejus color viridis est in nigrum deflectens, ipse autem oleosus, aliquantùm mollis, et adeò squamosus, ut manu attrectati squamæ digitis adhærescant. Est species lapidis fissilis. Plinius in sua historia naturali lib. 36. c. 22. illius meminit sub nomine lapidis Comensis; illuc enim vasa, quæ Clavenna conficiebantur, asportari solitum est, ac indè

in omnes Italiæ partes propagari. Itali lapides istos Laveżzi seu Laveggi, Germani Lürtzen seu Laürtz-Stein, Latini Lapides serpentinos nuncupant. Vasa, quæ ex iis conficiuntur venenum non patiuntur sed bulliendo illud ejiciunt ac velut evomunt. Illorum permagna copia semper distrahitur, veteribusque Pliniii Inuolis usque 60000. Duatorum quæstus ex illorum venditione singulis annis obveniebat.

Præter hanc fodinam, quæ omnium præcipua est, et optima, aliæ adhuc duæ occurrunt ejusdem lapidis, una, quæ minima est, in hac ipsa regione, altera in Valle Telinâ non procul à thermis Masenensibus /: Maseno :/ Hujusmodi etiam fodinæ occurrunt in Vallibus Verzasanâ in territorio Locarnensi, et Mallenganâ.

II.

De Valle Telinâ

Vallis Telina, Vallis Tellina, Vallis Telinia, Vallis Valturena, Vallis Turrena, Vallis Thyrrhena /: Wältelin, Tellinor-Thal, Valtolinor-Land, Val Telina, Val Thyrrena, Val Telline Valtoline :/ Regio seu Vallis ad alpium radices inter Clavennensem et Bormiensem Comitatus sita. Longitudo ejus ab oriente ad occidentem est circiter 10. milliarium germanicorum, Latitudo autem non ubique æqualis est, Summa est 4. milliarium etiam germanicorum. Abdua /: Adda :/ flumen à principio ad finem eam perfluit, ac in duas partes dividit.

Nomen ipsius aliqui deducunt ab antiquissimo montano Castro, quod Telium /: Teglio; Germanice Tell :/ nuncupatur, ac olim præcipuus regionis locus fuit; alii verò ab Urbe quâdam, quæ Volturena seu Vallis Tyrrhena vocatur, inferius in Valle et ad ripam Comensis lacûs sitâ, quam Tyrrheni populi excitasse dicuntur. Quidquid ea de re sit, scriptores Latini illam Vallem Telinam, Incolæ Volturenos nominant, germani Latinum ipsius nomen in Veltlin corruperunt, quod Seltlin pronuntiant. Vallem hanc antiquitus Vennonii populi incoluerunt.

Ob abundantiam multifariorum delicatorum fructuum, quos profert, omnibus totius Europæ provinciis anteferitur, Solumque habet adeò fœcundum, ut singulis annis ter meti possit. Vinum illius totâ Europâ notam efficit, ac tantâ æstimatur quantâ Falernum* nec Imperatori Octavio Augusto ullum pro illo acceptius fuit. Utramque Adduæ littus

* Falernum vinum à Falerno agro

optima vineta stirpant, quæ uvas proferunt, quarum baccæ juglandes seu basilicas nuces (: Wälsche Nüsse :) crassitudine æquant, undè opinio est sub hac valle occultum Hyrophylacium (: vium Hochbergmer Feuer Cammer :) esse; solis radii namque in illius solum tantam virtutem soli conferre posse non videntur. Loca petrosa etiam vinum proferunt, nec aliud requiritur, quàm ut inter saxa tantum telluris effundatur, quantum opus est, quò sarmenta radices agant. occurrit etiam quædam uvarum mense Julio maturescentium species.

in Campaniâ Regni Neapolitani provinciâ, in quo crevit; sic dictum, et ob præstantiam suam longè latèque celebratum.

Incolæ Italicum loquuntur sed Longobardicum et pront Comenses et Bergamenses communiter profert. Anno 1620. hujus Vallis Catholici factâ conjuratione omnes Calvinistas seu Protestantes, qui hucusque temporis in hac valle domicilium fixerant, exterminârunt ceris omnibus iis, quibus fugâ sibi consulendi tempus haud suppetiit, eorum aliqui, ut remanerent, fidem Catholicam amplexi sunt.

Vallis Telina in tres partes, quas Tertias vocant, dividitur superiorem nempè, Mediam, et Inferiorem. Superior Bormiensem Comitatum attingit; unde eum Communitatibus constat, quarum Caput est Tiranum (: Tirano :) Illam inter et Mediam occurrit Communitas Telinensis (: die Faller Gemeindt :) unanum hoc territorio, cujus caput est Telinum (: Teglio, Fall :) Oppidum. Media 18. Communitates continet; illius metropolis est Sondrium (: Sondrio :) Inferior in binas classes (: Esquadras :) dividitur, nimirum in Morboniensem, cujus Caput est Morbonium (: Morbegno, Morban :) in ea deinde numerantur Communitates; et Trahoniensem, quæ etiam 12. Communitates continet. Illius Caput est Trahonia (: Trahona, Fracfon :) Universim ergo Vallis Telina quinque Præfecturis comprehenditur; quarum quælibet suum Senatum et Præsidem seu Præsidem habet, quos tota Communitas elegit. Habent etiam suos rei militaris Præfectos, Centuriones, et alios, qui 3000. selectos milites sub se numerant. Ipsarum Defensores seu Syndici legum observantiam curant; Consules pupillos tuentur; præterea jus ipsis est in rebus et negotiis, quæ omnes tangunt Incolas, totius Vallis Conventus seu Comitia celebrandi, quæ Sondrii sub Præsidio Præfecti seu, ut vocant, Assessoris à Grisonibus constituti aguntur. fu.

Notatur hic 1º Tiranum, Tyranum [: Tirano, Tyrano, Tiran, Tyren :] Metropolis ejusdem Tenum nominis Præfecturæ. Olim ad dexterum Adduæ littus sita erat, ejusque nomen Villacia fuit, postquam autem funditùs eversa est, sensim eo amœno, quo nunc extat, loco excitata fuit nempè ad sinistram Adduæ ripam, milliari germanico ad orientem à Telio. Populosissima est, ac in ea residet Præfectus à Grisonibus constitutus, neuron totius Communitatis regimen. Proximè illam existit Templum honoribus B. V. Mariæ dicatum, frequentes sunt ad illud fidelium peregrinationes, atque plurima peregrinantium monumenta tot erga B. V. Mariam devotionis testimonia ibidem visuntur.

Galli an. 1508. Urbem hanc occuparunt, at mox desesserunt. Olim è monte Tirano impendebat amplum et munitum Castrum, quod devastatum est. Ludovicus Sfortia Ducatûs Mediolanensis Administrator illam an. 1487. mœnibus cinxit, totamque illius vallem muris claudere voluit. Tirani multæ Nobiles familiæ fuerunt. Hic an. 1620. mense Augusto Lanieno, quam Catholici in Protestantes exercuerunt, exordia sumsit, indeque ad alia loca propagata est.

2º Telium [: Teglio, Teglio, Trll :] amplum oppidum in monte non procul ab Adduæ [: Adda :] Tiranum inter et Sondrium positum et ferè milliari ab utroque distans. Est caput Præfecturæ, cui nomen tribuit. Ei imminet Arx vetus devastata.

3º Sondrium, Sondricium [: Sondrio, Sondri, Sondrisio, Sondrio :] venustum Oppidum loco amœno ad dexteram Adduæ ripam sub monte Masegrio positum milliari germanico ad Occidentem à Telio. Caput est Præfecturæ, cui nomen tribuit. Olim mœnibus clausa urbs fuit cum Arce validâ, at an. 1335. et mœnia et Arx demolita fuerunt. In eo Præfectus residet.

4º Morbonium [: Morbegno, Morbon :] pulchrum, amplum et opulentum Oppidum ad sinistrum Adduæ littus è regione Valtoniæ situm 4. leucis gallicis ad Africum à Sondrio, Caput primæ Communitatis Inferioris Vallis Telinæ partis. In eo residet Præfectus, multæque nobiles familiæ domicilium habent.

Nomen accepit ab insalubri aëre, qui olim cum interpaludes positum erat, in eo spirabat, quarum vaporibus infiebatur. Postmodùm in locum saniorem translatum fuit, sub monte scilicet, et ad utramque exigui fluvii cui Bittus [: Bitto :] nomen, ripam. Antehac muros habuit

et binas arces ad quodlibet fluvii littus unam; at nunc harum ia devastata jacent. Hic PP. Ordinis Praedicatorum vulgò Dominicani Ecclesiam habent, quo S. Antonii dicitur, et Monasterium.

Oppidum hoc in historia celebratur à bello Musseno, quod an. 1531. Grisones inter et Joannem Jacobum de Medicis Arcis Mussensis |: Müss:| Praefectus, seu, ut vocant, Castellanium viguit, in quo ipse Oppidum istud occupavit ac tenuit, donec à Grisonibus eo exturbatus est. Sequenti saculo et post centum fermè annos nemon Protestantium in Valle Telina eodem Marchio de Coevres Gallicis, Bernensibus, et Tigurinis copiis stipatus Oppido hoc potitus est, ac è regione Arcis Fontanae* |: Fort di Guentes:| aliam exitavit, Novam Franciam |: Nouvelle France:| dictam. An. 1624. et 1635. grave praelium hic initum fuit Ducem Rohanium inter et Caesareos, in quo hi cari fuerunt desideratis horum bis mille.

5.o Trahonia |: Trahona, Trahon:| vetustum Oppidum ad montis radices non procul à dextero Abdua littore situm, Leucâ Gallicâ ad Euronotum à Morbonio. Caput Secundae Communitatis tertiae Vallis Telinae partis sive Praefecturae, cui nomen impertit. Sedes est Praefecti à Grisonibus instituti. Ab eo etiam circumjacens regio Vallis Trahoniensis nuncupatur.

In hac Valle occurrit celebre Balneum Masenense |: Bagni di Masino, Masinor-Bad:| ad fontes Masini fluminis positum non procul ab Oppido, quod S. Martini dicitur. Aqua ejus auri, ferri, aluminis, nitri, et sulphuris particulis impraegnata est. Variis medetur morbis praesertim iis, qui à corde et hepate provenunt. Adsunt etiam praestantes lapicidinae.

III.

De Comitatu Bormiensi.

Comitatus Bormiensis, seu Bormium |: Die Grafschaft Wormt, la contea di Bormio seu Wormio:| supra Vallem Telinam in confiniis Tyrolis ad fontes Abduae positus est. Ejus maxima longitudo ab Austro ad Septentrionem est quinque, latitudo ab Occidente ad Orientem quatuor milliarium Germanicorum.

Undique montibus cingitur, excepto quodam exiguo hiatu versus vallem Telinam, quem Abdua pertransit, adujus sinistram via regia per praerupta saxa duit.

*Arx Fontana sita est in agro Comensi, ubi Abdua in Lacum Comensem influit, ab Hispanis an. 1603. sub directione Comitis de fontibus |: di Guentes:| excitata et ipsius nomine insignita.

In quinque, ut vocant, Vicinias seu parvas Communitates dividitur, suntque 1.° Bormium unacum sibi adjunctis quatuor minoribus Oppidis. 2.° Forba Vallis, quæ populosissima est. 3.° Vallis Interior. 4.° Vallis Inferior. et 5.° Vallis Leportina, alia tamen ab illa de qua, ubi de Pago Ithiensi egimus, nobis sermo fuit. In hac nudi vici, sed rusticana duntaxat villa occurrunt.

Salubri aëre gaudet, qui tamen hyemis tempore admodum rigidus est, at in æstate adeo suaviter spirat, ut multi è viciniioribus calidis regionibus, ubi summus viget ea tempestate æstus huc se conferant, necnon animi refocillandi et recreandi gratia aliquanto tempore demorentur.

Regio hæc vinetis caret, agri frumentum, quantum fermè incolis sufficit, proferunt, cæterorum fructuum penuriam quamdam patitur. at præter capras, oves, aliáque pecora toto æstivo tempore 6. usque 7000. vaccarum in ipsis montibus pabulantur; apes magnam mellis quantitatem edunt, quod ita suave et bonum est, ut vix alibi melius invenire sit. In montibus hinc inde occurrunt auri, argenti ferri, æris, aluminis, plumbi et sulphuris venæ.

Incolæ corpore crassi plerumque sunt, sed tamen sani et sensati perspicaci pollentes ingenio, ad varias linguas, artes liberales, et militiam apti; nec ipsis laboribus sive æstatis sive hyemis tempore ardnus videtur, ita ad laborem nati sunt. Speciali potiuntur regimine, quod ab illo, quo Valli Telina regitur, omninò diversum est, quippe qui tanquam populi limitanei et momentosarum viarum possessores à Dominis suis Grisonibus eximia privilegia et immunitates obtinuerunt, et hactenùs imperturbatè servaverunt. Consules suos et Senatum è suis sorte duntaxat ad vitandas inimicitias et fovendam tranquillitatem publicam eligunt, qui causas omnes sive civiles sive criminales definiunt in præsentiâ tamen et sub auctoritate Præfecti Comitis hui et à Grisonibus singulis duobus annis constituti. Speciale jus municipale sub Statutorum nomine habent, quod sequuntur. In re militari sibi Præfectos et Centuriones, p. eligunt. p.

Occurrunt in hoc Comitatu duo Balnea, unum S. Martini dictum duobus milliaribus Italicis versus aquilonem à Bormio; alterum directè sub Lutesio S. Martini positum: equorum morbis medetur.

Notatur hic duntaxat Bormium [: Woomb, Bormia:]

Oppidum Caput Comitatûs, à quoipse nomen habet, ad dexteram Abbuæ, et Frodlofam |: Frodlof: | rivum, qui in monte Bruulio oritur, ei inde Horbam vadem perfluit, et ad austrum Bornii Abbuæ jungitur, situm, 5. leucis gallicis ad Euro-Aquilonem à Tirano. Pulchrum est ac Incolis frequens, in eoque multæ nobiles familiæ, et Præfectus habent domicilium. Ecclesiam Parochialem administrant Archipresbyter et quinque Canonici. Vix alibi melius vinum invenitur quàm hic. Frodlofa ligna abundanter advehit, quibus livos utuntur tum ad fabricandas domos, quàm ad rem domesticam. An. 1520. à mense Aprili usque ad finem Januarii sequentis anni lues pestifera hic grassata est, quæ ultra 2000. hominum è medio sustulit.

Oppido huic imminet Castrum ~~oppidum~~ munitum et omni bellico apparatu instructum.

Subsectio III.

De Urbe, et Abbatiâ Sangallensibus, earúmque Dominiis.

Quæ hic diferenda nobis occurrunt tribus §§. expedimus. In 1º. de Urbe San-gallensi; in 2º. de Monasterio seu Abbatia San-gallensi ejusque veteribus subditis; et in 3º. de illius novo Dominio seu Comitatu Toggenburgensi agemus.

§. I.

De Urbe San-gallensi.

Sancto-Gallum |: St. Gall, St. Gallen: | Urbs in Superiori veteris Burgaviæ parte sita milliario Helvetico ad Occidentem à Lacu Constantiensi et Rosaco Oppido sub gradu long. 31. M. 35. lat. 47. min. 13. Sita in Angustâ et sterili valle inter binos montes, à quibus ad Septentrionem et Austrum clauditur, versus orientem et Occidentem apertus sed horridus ei imminet campus.

Urbs hæc incrementa sua debet Abbatiæ seu Monasterio, quod ambitu suo continetur. Sæculo X. nonnisi vicus aut oppidum adhuc fuit; at cùm Hungari in Germaniâ diré grassarentur, muro turribus et fossa cincta ~~fuit~~, quod opus an. 954. cœptum an. 980. perfectum est, nec alia hodiedum munimenta habet, ipsiusque fossa cœnorum est receptaculum. Plateæ ejus pulchræ sunt et latæ, ædes venustæ, et publica ædificia magnifica, ut Prætorium, Armamentarium, Gymnasium, Macellum, Domus

Statica, p. tria Templa S. Laurentii, S. Magni, et S. Catharinæ, cui Monasterium jungitur, quod olim Sanctimoniales inoluerunt, et in quo nunc extat publica Bibliotheca, quam Joachimus Vadianus*[Von der Wadt] hujus Urbis Consul Sæculo XVI. concivibus suis dono dedit.

Semi ab hac Urbe milliari occurrit angusta simul et admodum profunda vallis, quam Goldacus [Goldach] aquarum fluvius perfluit, atque Martini Vallis [Martinstobel] vocatur, ejus latera ponte junguntur an. 1467. excitato; 110 pedes longus est, 14. latus, et 96. altus.

Solum seu Ager San-Gallensis fertilis haud est, nec nisi herbam profert, ita, ut, quod speciale admodum est, nec alibi facilè inventur, Urbem nec Agricola, nec Vinitor, nec Arator, nec Pastor pecorum egrediantur: Cives tamen plerumque sunt opulenti ac non Studio suo et diligentiâ agri sui sterilitatem sarciunt, artisque ope illud obtinent, quod naturâ ipsis denegat, frequentissimumque, præsertim Lini longè latèque celebrati commercium diviites efficit, ac cum Lacui Constantiensi sint vicini viamque occupent, quæ è Germaniâ in Italiam et vicissim ducit, illorum apotheca mercibus refleta sunt, quæ huc advehuntur, ut aliò devehantur. Calvinismum omnes profitentur, et quamvis materna ipsorum lingua sit Germanica, inter se tamen parvam Gallicam Ecclesiam collegerunt, cujus Pastorem propriis sumtibus alunt.

Urbi huic, cum Vicus vel ad Summum Oppidum dumtaxat adhuc fuit, dominati sunt Abbates San-gallenses, at successu temporis, et postquam Urbs evasit, tum libertatem adepta est adeò, ut jam ab aliquot sæculis exiguæ injuriam Reipublicæ speciem referat. Sæculo X. Otto I. Imperator eidem jus monetandi indulsit, liberamque Imperii Urbem dixit; Imperatores quoque aliqui erga Abbates San-gallenses malè affecti illam adversùs ipsos tuiti sunt, ipsique Abbates sensim ac sensim varia, quæ ipsis in Urbem adhuc competebant, jura civibus vendiderunt, nihilque amplius in ea possident præter feuda quædam. Vosco-nii Præfectus eidem propter varia prædia, quæ illud in Rhenanâ Valle, Turgaviâ, Comitatu Toggenburgensi, et Pago Abbatiscellani habet, homagium præstare tenetur. In ea bina sunt Senatorum Collegia, Majus componunt 66. viri, et Minus 24. adsunt etiam tres Consules, qui alternatim regunt et ab-

* Vadianus [Joachimus] Sancto-Gallinatus 29. Nov. an. 1484. Vienna Austriæ Studiis vacavit, ubi an. 1508. Professor fuit, et postquam Poloniam, Hungariam, Germaniam, et Italiam peragrasset an. 1518. ibidem Medicinæ Doctor, et ab Imperatore Maximiliano I. Poëta Laureatus creatus est, ac an. 1521. Universitatis Rector factus. Inde in patriam reversus an. 1526. Consulatûs dignitatem obtinuit, et ad abolendam in Urbe Catholicam Religionem multùm contulit. an. 1551. 28. Jan. è vivis excessit 66. annos natus. Fuit Mathematicus, Geographus, Philosophus et Medicus pro eâ, qua vivebat, ætate satis celebris. Theologiam etiam coluit, ac contrà Schwenckfeldium scripsit. Ajunt eum sub pulvinaribus semper habuisse Virgilium. Gentiles sui illum liberalium Artium et Scientiarum in Helvetiâ restauratorem fuisse prædicant.

universo populo eliguntur. Cives in Septem Tribus distribuuntur; earum prima est Nobilium. Cæterùm nulla possidet dominia præter quædam jura tribunalia an. 1579. emta, quæ per Archisutrapam singulis sex annis à Majori Senatu electum administrantur. Speciali fœdere Urbi Norimbergensi ab anno 1387. juncta est, vi cujus Sangallenses Norimbergæ ab omni vectigali sunt immunes, et vicissim Norimbergenses Sancto-Galli. Verùm fœdus præcipuum illud est, quod an. 1454. cum Sex Pagis seu Cantonibus Helveticis, Tigurino scilicet, Bernensi, Lucernensi, Suitiensi, Tugiensi, et Glaronensi pepigit.

§. II.

De Abbatia seu Monasterio S. Galli, ejusque Veteri Dominio.

Franum S. Galli |: St. Gall, St. Gallen :| Principale et opulentum Ordinis S. Benedicti Monasterium intra septa ejusdem secum nominis Urbis contentum, cujus quartam partem occupat. Corporis Helvetici partem fuit, necnon tredecim Helvetia Pagis, speciatim verò Tigurino, Lucernensi, Suitiensi, et Glaronensi fœdere jungitur.

Nomen suum, quod Urbi impertivit, à primo hujus loci incolâ, qui sub S. Galli appellatione celebratur, accepit. Hic, è Scotorum, quod ajunt, regulis natus, et, ut quidam volunt, Nepos Unnahum Hibernia Regis, à teneris annis in Bangoris |: Benchor :| Walliæ Cœnobio educatus à S. Columbano ibidem Abbate, unacum ipso et aliquot Sociis circa an. Chr. 578. ex Hibernia per Gallias in Germania oras appulit, et confractis ubique idolis trophæum Crucis Alemannia intulit dignus, qui illius annumeretur Apostolus. S. Columbano Italiam petente, ipse fabri detentus hic loci, in densissimo nemore, quod Abonensis saltus vocabatur, cellam seu Oratorium condidit B. V. Mariæ et SS. Martyrum Desiderii et Mauritii honoribus dicatum. Ipsius virtutum et sanctitatis famâ captus Gozo Dux Alemanniæ, eidem Constantiensem Cathedram et Luxoriensem Insulam ultrò obtulit, quas sanctus vir solitudinis amans acceptare renuit. Ubi deinde ex hujus Ducis filia Sigeberti Regis Francorum uxoris corpore dæmonium ejecisset, idem Rex eidem amplum circum ipsius Cellam fractum concessit. Hæc prima concessio subinde vicinorum Insularum testamentariis donationibus aliisque piis legatis permaximè aucta fuit, Cellâque Monasterium facta est, quod plures Monachi incoluerunt.

Diu post S. Galli obitum, qui anno Christi 640. ætatis suæ 95.to, sed an. 720. ætate Caroli Martelli, vel, ut alii volunt, sub Pipino ejus filio S. Othmarus è Curiensi Curiâ adscitus Regulam S. Benedicti in illud introduxit, priùs enim hujus Cœnobii Monachi Regulam S. Columbani sectabantur. Monasterium istud eo tempore et postea à Carolo Martello, Pipino ejus filio, Ludovico Pio, Ludovico Crasso, aliisque Principibus tot et tantas obtinuit possessiones, ut opulentissimum simul et potentissimum evaserit, atque sub Abbate Bernardo Henrici I. Imperatoris cognomento Aucupis consanguineo regiones, quas possidebat, præclarum efficerent Principatum; unde etiam an. 1215. sub Imperatore Ottone IV. ipsius Abbas S. R. I. Princeps factus est, memoriâ proque proditum est Abbatem S. Galli an. chr. 1361. mille equitum comitatu Argentinam ingressum fuisse, cùm Waltherus Baro à Gerolthzeck in Episcopum Argentinensem electus introduceretur. Neque etiam parùm ædibus incrementa contulit, quòd jam à primo fundationis suæ sæculo inter trecentos, quos subinde continuit, Monachos plerique sanctimoniâ scientiarumque virtute claruerint, et in eo per 200. vel 300. annos nempe ab anno circiter 800. ~~eodem~~ præstantissima Academiæ species quædam fuerit, è quo permultæ viri docti et Scriptores optimi prodierunt, dum interim reliqua Helvetia crassis barbariei et ignorantiæ tenebris obvoluta jacuerat; inter quos celebratur Abbas Gorbertus, qui an. 816. eodem, quo Monasterium magnificè construxit, Bibliothecam comparavit, quæ successu temporis adeò excrevit, ut optimis totius Europæ Bibliothecis, præsertim quantùm ad Mss. Codices, quorum ultra mille continet, annumerari meruerit. Certè habet hoc Sancti Galli cœnobium, quòd semper fuerit summorum virorum seminarium, ex quo tot illustrissima Cathedris ac Infulis nata capita prodiêre, Waldone S. Dionysio Parisiorum, Walafrido Augiæ Divitis, Warino, Liperto, Ludovico Eichstadtæ, Rudolpho Augustæ, Petro Maristebæ, Dietmaro Hirsangiæ, Francisco S. Ottonis, et nuperrimè Bernardo Disertinæ Abbatibus; Joanne, Arnafredo, Notingo, Salomone, aliisque multis Constantiæ, Waltone Curiæ ac Basileæ, Waldberone Wormatiæ, Reginboldo Spiræ, Udalrico Curiæ Episcopis; Arnulpho Ravennatum Archiepiscopo; Udalrico Patriarchâ Aquilejæ; Cœlestino Sfondrato Cardinale S. R. Ecclesiæ destinatis. Tramitus S. Conradum

Constantiensem, S. Udalricum Augustanum, Balzonem Spirensem, Dietrichum Metensem, Hildebaldum Curiensem, aliosque plurimos Episcopos, omnes S. Galli olim Discipulos, et Sanctitate et doctrinâ clarissimos. S.

Subindè parcelebre Monasterium istud à sua potentiâ simulque opulentiâ nonnihil decidit. Urbs quod jam supra advertimus, cùm adhuc Vicus seu Oppidum esset, illius Abbatibus subjecta fuit, at Urbs facta variis Imperatorum privilegiis aucta est, tumque Abbatem in illam dominium imminui coepit, illud civibus sub privilegiorum suorum obtentu detrectantibus, inde Abbatem inter et Cives graves subortæ dissensiones, quæ tandem compositæ fuerunt, ubi nempe Cives, exhibitâ Abbati satis magnâ pecuniarum summâ, plenam libertatem adepti sunt. Pagus Abbatiscellensis, quod supra Sect. i. Subsect. i. §. VII. memoravimus, olim etiam Abbati S. Galli subjacebat. At postmodùm tàm armorum quàm pecuniarum vi se in libertatem asseruit, atque cæteris Helvetiæ Pagis annumeratus est, inter quos decimum tertium et ultimum locum occupat. Zwinglianismus quoque, quem Monasterii subditorum pars ingens amplexa est, multos reditus, qui, cum Vera Religio Catholica apud Helvetos vigeret, eidem obveniebant, ipsi detraxit; tot tamen adhuc ei ditiones supersunt, quæ satis amplum Principatum efficere valent.

Olim Cenobium istud ex parte urbis apertum erat, ac primùm an. 1570. ad evitandas confusiones, quas facilis utrinque aditus præbebat, muro clausum fuit. Modò igitur versus agrum parte murorum urbis, et versus Urbem novo, ut dictum, muro clauditur, ac utrinque exitum et aditum præbent bina porta; à regione illius, quæ versus urbem est, cives suam habent eidem muro junctam, quam et ipsi claudunt et aperiunt.

An. 1529. mense Februario, cum urbs novum Zwingli Evangelium jam suscepisset, cives à Magistratu ipsi in Monasterium armata manu irruerunt Templumque ingressi duarum horarum spatio cunctas Sanctorum imagines et Statuas, quæ in eo erant, in acervum congesserunt; lapideæ confractæ sunt, earumque frusta ad fabricam adhibita, ligneæ verò 40. vel, ut alii memorant,

46. plaustris impositæ extra Urbem devectæ fuerunt, idque combustæ. Tum 7. Martii in illud Zwinglianismus introductus est, ac prima vice in eo congregati cives juxtà Sectæ suæ ritum sacra celebrarunt, et Præco quidam, cui Dominicus Zilli nomen, proconcione dixit, et loco Missæ Psalmus 81. decantatus fuit. Cœnobii Decanus et Monachi hisce violentiis cedere coacti Einsidlam se receperunt. Tum Tigurini et Zwingliani Glaronenses de Monasterio ejusque prædiis et ditionibus velut de re propriâ et tanquam Domini disposuerunt; illud unacum suis ædificiis Civibus Sangallensibus vendiderunt, Toggenburgensibus Monasterii subditis pro summa ~~[illegible]~~ pecunia libertatem concesserunt, p. Res in hoc flebili statu permansit usque ad an. 1531. tunc enim, et post pugnam Capellensem, in qua Tigurini et Bernenses unacum fœderatis suis Protestantibus à Catholicis fusi fuêre, Abbas et Monachi restituti sunt, necnon an. 1532. 1. Martii Cœnobii sui, et omnium sibi à Zwinglianis ablatorum prædiorum et dominiorum possessionem denuò sadierunt.

Monasterii hujus Dominia seu subditi duplicis sunt speciei; alii enim veteres, seu Domûs Dei homines [: Gotts=Haus=Leute, Gens de la Maison de Dieu :] nuncupantur, Novi alii seu Comitatûs Toggenburgensis Incolæ. Præter hæc Dominia idem Cœnobium aliqua adhuc in Suevia et Brisgoja possidet, quæ hic expendere super accaecer duximus, ut qui de iis dintaxat agimus, quæ in Helvetiâ possidet. Hoc igitur §. de veterum illius subditorum regione nobis erit sermo, sequenti verò de Comitatu Toggenburgensi.

Veterum Monasterii S. Galli subditorum regio confinis est ad Orientem Lacui Constantiensi, ad Meridiem pago Abbatisvillensi, ad Occidentem et Septentrionem Turgaviæ. Oblongum quadratum exhibet, cujus longitudo est circiter octo milliarium, latitudo autem quatuor. ad Occidentem Weilâ urbe et ad orientem Rorsaco oppido clauditur. In quosdam Tractus dividitur, qui tot sunt præfecturæ. In ea occurrunt urbs unica et permulta oppida et vici. Hic notari merentur

1°. Weila, Villa, Wila [: Weyl, Weil, Weyl :] Urbs exigua sed aliquantùm munita ad ripam Tu-

ra |: Fur: | fluvii in confiniis Turgaviæ et Comitatûs Doggenburgensis sita tribus fermè milliaribus Germanicis ad Occidentem à Sancto-Gallo. Incolis frequens est, quorum ædes ligneæ sunt. In ea Abbas et Princeps Sancti Galli palatium habet, in quo Monachus residet qui sub Locumtenentis |: Statthalter: | titulo toti illius ditioni dominatur.

An. 1407. Abbatiscellenses et Sangallenses Urbem hanc occupaverunt, ipsúmque Abbatem in eâ ceperunt, tum inter ipsos pax inita sed minùs solida et quieta. An. 1445. feria 3. ante festum S. Pauli primi Eremitæ, quod incidit in 15. Januarii Austriaci eam expilarunt pluribus trucidatis civibus. Eodem anno ante festum S. Gordiani, quod 18. Martii celebratur redeuntes vibratis in eam sagittis et globis ignitis illius suburbium superius incendunt, ac recesserunt. anno sequenti sub finem Januarii Tigurini unanum Austriacis et Vitodurensibus ad illam castra moverunt, verùm desideratis suorum septuaginta quinque recedere cogati sunt.

Anno 1530. Cives ad Sacra Zwingliana accesserunt; verùm post Capellense prælium, et Abbate S. Galli in omnia sua dominia restituto, ad avitam Religionem suam denuò adducti fuêre. Variis gaudent privilegiis et immunitatibus.

Anno 1712. Tigurini et Bernenses, quibus, ob Comitatûs Doggenburgensis Incolas, cum Principe S. Galli bellum erat, urbem hanc occupaverunt; quam tamen vi pacis an. 1718. 15. Junii ipsos inter et Principem Badenæ in Argovia conclusæ restituerunt.

2°. Rosacum, Rosagum |: Rorschach, Rorschach: | amplum et venustum Oppidum pulcherrimis Helvetiæ urbibus facilè æquiparandum, ad littus Constantiensis Lacûs è regione Lindaviæ positum, duobus ferè milliaribus Germanicis versus Orientem à Sancto Gallo. Opportunus illius in amœno et fertili solo situs illud jam à pluribus sæculis celebre reddidit. Sæculo X. Otto I. Imperator eidem inter varia privilegia mercatûs, nundinarum, vectigalis, et monetæ cudendæ jura concessit. Vix in Helvetiâ locum est invenire, qui, habita respectu aliorum proportione, majori pulchrarum ædium numero sit ornatus. Portum habet, ad quem mercatûs et nundinarum gratiâ ex omnibus urbibus, Oppidis, et vicis circùm Constantiensem lacum positis ma-

gna hominum multitudo continuò appellit. Frequens est hic frumenti, frugum, piscium salitorum, pecorum lini, et vini commercium.

Anno 1499. in bello Suevico Cæsarei Oppidum hoc ceperunt, et expilatum incenderunt: at postmodum et sucessivè elegantèr restauratum est. An. 1712. Mense Majo Tigurini et Bernenses illud occupârunt, se primùm an. 1718. Abbati restituerunt. Antè annos Abbas hic horreum excitavit ampli et vetusti palatii speciem referens.

Extrà illud loco eminenti extat Monasterium seu potius Domicilium Monasterii speciem exhibens, sedes Religiosi, qui tanquam Locum tenens Principis illius District Dominatur: eidem adjuncti sunt duo vel tres Monachi Sangallenses. Non procul abcessum est aliud Sanctimonialium Cœnobium, quod sub hujus Locum tenentis directione degit.

3°. Gossavia |: Gossau, Gossaw :| amplum Oppidum Vilam inter et Sancto-Gallum in confiniis Pagi Abbatisellensis positum Milliari Helvetico ad Africum à Sancto-Gallo. Caput est exigui Tractûs, cui Satrapa præest. An. 1428. Fridericus Comes Toggenburgensis hic Abbatisellenses prælio devicit.

§. III.

De Comitatu Toggenburgensi

Comitatus Toggenburgensis sive Toggenburgensis |: die grafschaft Toggenburg, Toggenburg et Dochenburg :| limites habet ad orientem Pagum Abbatisellensem, et Veterum Abbatis S. Galli Subditorum regionem, ad austrum Comitatus Werdenbergensem et Sarnetum, ad Occidentem Castra Rhætia et Pagum Tigurinum, et ad Aquilonem Turgaviam et veterum Subditorum regionem. Ejus longitudo est decem leucarum gallicarum, latitudo communiter trium vel quatuor. Nomen habet à veteri Castro supra montem excelsum non procul à Lichtensteiga |: Lichtenstrig :| totius Comitatûs Metropoli posito, cujus nunc nonnisi quædam rudera et muri diruti superstant.

Regio hæc bifariam dividitur, nimirum in superiorem, quæ austrum tenet, et Inferiorem, quæ versus Septentrionem sita est. Hujus soli qualitas non ubique similis est et eadem: Inferior frumenti et frugum

ferax est, Superior viretis abundat et pascuis; ambae montibus tegunturque, qui in Superiori altiores sunt, quàm in Inferiori. Incolae partim Catholici sunt partim Protestantes, hi in Superiori regione Catholicis, Catholici verò in Inferiori numerosiores sunt. Summatim Protestantes duas Insularum tertias implent, Catholici unam duntaxat.

Olim huic regioni dominati sunt Comites à Doggenburg Castro Comites Doggenburgenses diti. Horum ultimus Fridericus cùm prole careret, suis subditis, quos impensè diligebat, tot tantáque privilegia ante obitum suum indulsit, ut eos quodammodò liberum populum effecerit, ac successori suo nihil dominii aut juris in illos reliquisse visus sit praeter quamdam regalium partem. Ei è vivis an. 1436. sublato in Comitatu suo successere ambo ex sorore suâ Catharinâ nepotes Hildebrandus et Petermannus Baronia in Valesiâ Barones seu Comites; Hildebrando brevi post demortuo tota haec hereditas ad Petermannum fratrem suum devoluta est. Hic cùm etiam esset improles Comitatum suum Abbati et Principi S. Galli an. 1448. vel, ut aliis placet, an. 1469. pro summa 14500. florenorum Rhenanorum vendidit, cujus Abbas ipse tanquam feudi Imperii investituram obtinuit, ac satis pacificè possedit usque ad Zwingliani-q ab Imperatore
glianismi tempora, tum enim Tigurini et Glaronenses Zwingliani provinciam hanc, tractis ad sua sacra plerisque illius incolis, sibi asseruerunt, acceptáque ab iis pecunia summa liberos omninò homines nullique subjectos declarârunt. at ubi an. 1531. pagi Catholici Protestantes prope Capellam fuderunt, tum Abbas illius possessionem denuò arripuit. Ab eo tempore inter Abbatem Dominii sui jura obtendentem, et Insulas libertatem suam et immunitatem praetendentes-q semper viguêre, neuon tandem eò perductae sunt, q dissensiones
ut gravi bello quinque Catholicos Helvetiae pagos Abbatis partes amplexos inter et pagos Tiguinum ac Bernensem, qui Doggenburgenses tuebantur, occasionem dederint. Tigurini et Bernenses auxiliaribus Grisonum, Neocomensium, Genevensium, Biennensium, Vallis Monasteriensis aliàs Grandis vallis et Turgaviae copiis auxti 6000. hominum in aciem edu-

xerunt, prœliqúe prope Vilmeringam Vicum an. 1712. fusis Catholicis, Principem S. Galli omnibus suis ditionibus exuerunt, Monasteriúmque ipsius expilârunt, ac indè omnia pretiosa Campanas, Organa pneumatica, amplissimámque Bibliothecam, p. abduxerunt: at postmodùm pace conclusâ eidem omnia reddita fuêre præter Campanas, quæ Tiguri in atrio Prætorii hunque visuntur, necnon centum et aliquot Mss. Codices, qui ibidem in privatis quibusdam Bibliothecis velut occulti servantur; tumque quies in Toggenburgensi Comitatu reducta fuit. Anno 1743. tamen denuò novi tumultus excitati fuêre, qui tamen sedati sunt; et cùm an. 1759. inquieti et turbulenti Incolæ adversùs Principem suum novos tumultus cierent, Tiguriní et Bernenses ùnita cum eo conventione eos, additis minis, in officio continuerunt. Hic notandum occurrit

1º Lichtensteiga ¦: Liftenstaig, Liftenstaig:¦ Urbs Caput Comitatûs ad ripam Thouri seu Tura ¦: Thur, Tur:¦ fluminis sita s. leucis Gallicis ad Africum à Sancto-Gallo. Fermè centrum provinciæ occupat, eamque in binas partes Superiorem nempè et Inferiorem dispesit. Huc Conventus provinciales celebrari solent. Principis S. Galli Satrapa olim hic sedem habuit. An. 1083. Hildericus S. Galli Abbas illam devastavit. Eximiis fruitur privilegiis sibi à veteribus suis Dominis Comitibus Toggenburgensibus indultis. Eidem in monte imminet Monialium Cœnobium.

2º Doggenburgum seu Toggenburgum ¦: Doggenburg sive Toggenburg:¦ olim Castrum munitum non procul à Lichtensteiga in monte positum Sedes ejusdem nominis Comitum, et à quo cum ipsi tum tota provincia nomen acceperunt. Modò penitùs devastatum est, adeò, ut ex eo nonnisi diruti quidam muri supersint.

3º Fanum S. Joannis ¦: St. Johann:¦ Monasterium Ordinis S. Benedicti in confiniis Comitatûs Werdenbergensis positum s. leucis Gallicis ad Euronotum à Lichtensteigâ. Fundatum perhibetur an. 1150. à viro quodam Nobili ejusdem loci Domino, cui Wetzelius à S. Joanne nomen fuit, pro Monachis Cisterciensibus. Initio duo tantùm Monachi illud incoluerunt; at

portnodum vicinorum Nobilium et Comitum Toggenburgicorum largitate auctus est in eo Coenobitarum numerus. Tandem ex Cisterciensibus facti sunt Benedictini, neuon Principali S. Galli Monasterio adjecti, ipsumque Coenobium in locum amoeniorem translatum, ubi etiamnum adhuc extat: unde nunc Vicus, in quo prius Monasterium fuit, Ad S. Joannem veterem |: Alt St. Johann:| nuncupatur; milliarique à Novo distat, quo nomine illud, quod modò exstitit, venire solet.

Ubi an. 1528. Religionis mutatio in Comitatu Toggenburgensi secuta est, Monachis exturbatis Monasterium hoc unacum praediis suis Incolis traditum fuit; at cum bellum Cappelense Tigurinis malè cessisset, Monachi auctoritate Pagorum Catholicorum demùm illius possessionem obtinuerunt. An. 1712. Toggenburgenses, quibus cum Principe suo simultates erant, potentiâ Tigurinorum et Bernensium fulti illud occupârunt Monachis satis inclementer habitis. at pace constitutâ omnia in antiquum statum reducta fuêre.

4.º Milliari gallico et paulò amplius à S. Joanne versus Orientem extat Vicus Wildenhusium |: Wildenhub:| dictum prope Thauri seu Turi vel Turae |: Thur:| fluminis fontes situm, Caput eaiqui tractus. Famosus est ex eo, quòd locus natalis sit Huldrici seu Ulrici Zwinglii ibidem an. 1484. 1. Januarii in lucem editi parentibus Huldrico Zwinglio Loci Praefecto et Margarethâ Meilâ |: Meil:| Ibidem etiam fuit Castrum Wildeburgum dictum, quod an. 1468. adhuc stetit, Comitibus de Toggenburgo, ut ajunt, à Coenobio Einsidlensi in feudum datum.

5.º Magdenavia seu Magenavia |: Magdenau seu Magenau:| Monialium Ordinis Cisterciensis Monasterium milliari germanico versus Septentrionem à Lichtensteigâ situm. à Rudolpho Gieb de Glattburg an. 1244. fundatum perhibetur, et à Principe S. Galli, Comitibus Toggenburgicis, Kiburgicis, Habspurgicis, Fürstenbergicis, et aliis Nobilibus Helvetiis pinguibus reditibus auctum. an. 1712. 12. Aprilis à rebellibus Toggenburgensibus occupatum fuit.

Subsectio IV.
De Episcopatu Basileensi
seu
Principatu Brunstrutano.

Episcopatus Basiliensis seu Principatus Brunstrutanus /: Das Bisthum Basel seu das Fürstenthumb Brunstrut, L'Evêché de Basle seu La Principauté de Bourrentruy:/ Germaniæ et Circuli Rhenani Superioris provincia limites habet ad Orientem Helvetia Pagos Solodurensem Basileensem et partem Bernensis: ad Meridiem Principatum Novocomensem et Jennè partem Pagi Bernensis; ad Occidentem Comitatum Burgundiæ; et ad Septentrionem Suntgaviam. Ejus longitudo ab austro ad Aquilonem est 10. vel 11. circiter leucarum Gallicarum, latitudo ab occidente ad Orientem fermè totidem, hæc ab angusta quadam Pagi Solodurensis ditione intercalatur.

Provincia hæc pars est Veteris Agri Rauracorum seu Rauracia* /: Rorenkorr Land:/ ~~unde~~ et adhuc hodiedum illius Incolæ Rauraci vocantur, Sequanorum progenies, unde antiquitus Sequano-Rauraci nuncupati fuêre. A Lacu Bienensi Basileam usque porrigitur. Præsertim hi illius Tractus numeraatur, Alsgangia sive Comitatus Alsgangiensis vel Pagus Alsatiensis /: Elbgau seu Elsgaugr, Le Païs d'Ajoye:/ cujus Metropolis est Brunstrutum: Mons liber /: Frizberg, la Franche Montagne:/ in quo Fanum S. Ursicini, St. Ursitz, St. Ursanne:/ Urbs: Sisgavia /: Sisgau:/ ubi Arlesheimium, Laufha Urbs, Birsenum, Zwinga, Eschia, p. Saligaudia /: Saltzgau:/ ubi Delemontium urbs, p. Grandis Vallis /: Granfelt, Grand-Val:/ ubi Monasterium Oppidum. Loca hæc cis Jurassum montem /: Jurtenberg, Mont Jura:/ ~~pertinebant~~ proinde in Rauracia sunt collocata. Sequuntur trans eundem montem adeoque in Helvetiâ Vallis S. Imerii /: St. Imbrr seu Immer-Thal, seu Vallis Argula /: Erguel, Argual:/ ubi Oppidum S. Imerii, et Argula Ara. Ager Biennensis, ubi Urbs Bienna /: Biel, Bienne:/ et Bonna /: Bonne Ville, Gutstadt:/ cum suo Tractu. Præterea Episcopus Basileensis in Brisgoja Basileam interet Friburgum Dominium Schlingense /: Teflingen:/ possidet.

Regio hæc communiter Alsgangia /: Elbgau, le Païs d'Ajoye:/ nuncupatur, eoquod Brunstrutum totius Principatus Metropolis in Alsgangia sit. Admodum montosa est, horridaet sterilis, plerumque vadiis in-

* Rauracia modò, præter Principatum hunc à fontibus Bisæ seu Petrâ pertusâ Basileam usque comprehendit Territorium Basileense, Vallem Frickiam seu Vriggoviam, agrum Rhenofaltensem, et partem Pagi Solodurensis.

teredunt excelsi montes et Sara. Frumenti penuriam patitur. In plaga, quae Mons liber |: Freyberg, la Franche Montagne :| nuncupatur, atque Burgundiae Comitatum attingit, pinguia et ampla occurrunt pascua, in quibus aliquot pecorum millia pabulantur, et Saginantur, totius Regionis divitiae. Salubre in ea spirat aër. Praecipui illius fluvii sunt Dubis |: le Doux :| Birsa |: die Birs, la Birse :| qua sub Jurasso |: Jurtenberg, Mont Jura :| prope Petram pertusam |: Stein-Thor, Pierre port :| ortur, et Halla |: die Hall, la Halle :| quae Urbis Brentrutanae portas alluit.

Incolis est frequentissima, aër enim et frigida mulieres apprimé fecundant adeò, ut plerumque sterile solum eos omnes sustentare haud potis sit; hinc permulti in ceteras regiones, praesertim in Germaniam se conferunt, ubi fortunam commodiorem quaerunt, ac plerumque inveniunt. Ingenio praestant; militiam quoque sectantur, ac plerumque strenui milites audiunt. Plebs Sanionis et Scomatibus indulgere videtur, ita, ut vix ullus sit sive concivis sive advena, cui statim ridiculum et vilentum agnomen non afficet.

An. 1579. Episcopus Jacobus Christophorus Blarer de Wartensee cum Septem Catholicis Helvetiae Pagis Lucernensi, Uriensi, Suitiensi, Subsilvaniensi, Tugiensi, Friburgensi et Solodurensi foedus pepigit, cujus scopus fuit mutua Religionis Catholicae et sibi subditorum populorum tutio. Idem an. 1655. sub Episcopo Joanne Francisco de Schönau, et an. 1695. sub Episcopo Joanne Conrado de Roggenbach per Casparum de Schorpff Episcopum Chrisopolitanum Basiliensis Cathedralis Ecclesiae Canonicum et Suffraganeum Lucernae, ac denuum an. 1712. sub Joanne Conrado de Reinach innovatum et confirmatum est.

Quod ad Episcopatus Basiliensis originem attinet, initio Augustae Rauracorum institutus fuit, post cujus Urbis eversionem Basileam translatus est, ajuntque primum illius Antistitem fuisse S. Pantalum, qui circa annum Chr. 238. floruit, atque S. Ursulam unacum 11000. Virginibus Britanniis sociabus suis, Augustam appulsam Coloniam urque comitatus fuisse dicitur; verum hoc fabulam redolere videtur. Hujus S. Pantali Successorum nullibi extat memoria usque ad Justinianum, qui an. 346. Synodo Coloniensi adversus Euphratem Arianum celebrata ~~subscripsit~~ sub Episcopi Rauracorum nomine subscripsit. Justiniani Successores sunt ignoti usque ad Adelphium, qui Concilio Aurelianensibus an. 511. sub Clodovaeo Francorum Rege, et an. 538. celebratis interfuit, in primis

per semetipsum, in secundo per suum Legatum Archiepiscopum, atque etiam Episcopus Rauracensis vocatus est. Post ipsum nulla amplius horum Episcoporum apud Scriptores mentio, et primùm an. 741. continua à Walano Episcopo cœpta sequitur illorum series; inter quos ordine trigesimus tertius recensetur Henricus Ordinis S. Francisci Reformatorum seu Discalceatorum, aliàs Cinguli Nodus |: Güotel Roogd :| dictus pistoris cujusdam Juvensis in Suevia filius, qui an. 1285. Archiepiscopus Moguntinus factus an. 1288. diem supremum obiit. Nobilibus Diœcesis suæ Clericis admodum invisus fuit; undè Epitaphii loco ipsi ab eisdem hi versus positi:

Nudipes Antistes non curat Clerus ubi stes,
Dum non in cœlis, stes ubicunque velis.

Olim Episcopi Basiliensis dominium directum in Comitatum Ferretanum seu Suntgaviam possidebant, hæque regis feudum erat ab ipsis pendens, quo tamen à Ludovico XIV. Galliarum Rege dejecti sunt. Vide Sup. in Appendice ad lib. 2. Sect. 4. §. 1. n. ~~344~~ 188.

Idem Episcopus in Imperii Comitiis votum et sessionem habet ante Episcopos Leodiensis, et alternatim cum Brixinensibus. Notatur hic

jò Bruntrutum, Pons Reintrudis, Pons Raintrudis, seu Pons Regintrudis |: Bruntrut, Brontrut, Brunkraut, Brondrut, Pourentru, Pourentruy, Pont-Rantrud, seu Pont-Rainton :| Urbs Alsgaugiensis Pagi seu Comitatus, et universi Principatus seu Episcopatus Basiliensis Caput sedesque Episcopi et Principis Bruntrutani; in confiniis Suntgoviæ et Comitatus Montisbellicardensis ad Halam |: Halle :| fluvium supra Sanum sita quatuor leucis gallicis ad orientem à Montebellicardo.

Mediocriter magna est et satis venusta, ejusque domus omnes sunt lapideæ: navim exhibere videtur, cujus prora ea Urbis pars est, quæ superior dicitur, et quam præter alias plures domos Janitarum Collegium et Seminarium occupant, puppis verò amplum Castrum è monte Urbi imminens et illius Suburbio velut juncta, continua sedes Principis et Episcopi Basileensis. Antiquitus, et antequam Episcopi Basileensis facta fuerit, in ea residit Alsgaugiæ Præfectus, seu, ut ajunt, Castellanus, cujus domicilium adhuc superest, vetus ædificium quod hodiedum adhuc Palatium |: dò Pfalz, le Palais, vel lingua vulgari Lai Kientschaine :| vocatur. Hujus Urbis mentio fit in Tabulariis seu Archivis Ecclesiæ Vesuntionensis, cui,

quantum ad forum Ecclesiasticum attinet, subjicitur, enimvero Episcopus Basileensis saularis duntaxat illius Dominus est.

Vetustissima est Galliæ seu Sequano-Rauracorum* Urbs, et Julii Cæsaris ætatem longè antecedens: Eam, dum idem Cæsar in Galliis ageret, Ariovistus Alemannorum Rex à Sequanis adversus Æduos**, quibusnum ipsis bellum erat, in auxilium vocatus, Rheno transmisit occupavit, ac fœdere in dominium commutato unanum ea Sequano-Rauracos sibi subegit, id ~~ipso~~ agré ferentes Sequani cum Æduis pace constitutâ, fœdus inierunt, et unanum ipsis adversus Ariovistum moverunt, quos ille in amplo campo prope hanc urbem devicit, tum Julium Cæsarem convenere ~~atque~~ ab ipso suppetias adversus Ariovistum postulantes, quibus ipse morem gestiens primùm Vesuntionem seu Bisuntinum occupat, inde movens in Rauraciam sub monte, in quo castra metatus fuerat, ac hodiedum adhuc ab ipsius nomine Mons Julii Cæsaris nuncupatur, Ariovistum in eodem campo, in quo iste paulò ante Æduos et Sequanos devicerat, fudit, et Sequanos ab illius tyrannide liberavit. Extat adhuc ibidem victoriæ monumentum rudis et ingens lapis 20. pedes altus, in cujus medio rotundum foramen est, ab Ariovisto, ut ajunt, devictis eodem loco Sequanis erectum, et à Julio Cæsare vicissim tanquam tropæum suæ victoriæ relictum.

Idem Cæsar in suis Commentariis harum binarum victoriarum meminit, Urbéque, propè quam reportatæ fuerunt, Amagetobricam: quædam editiones habent Amagetobriam, et alia Amagetrobriam: nuncupat, unde satis apertè colligitur Amagetobricam Urbem illam fuisse, quæ sunesfu temporis amisso nomine proprio Brunstrutum dicta est. Sicque satisfactum videtur Scriptoribus et Geographis nostris, qui hactenus in investigandâ Amagetobricâ hac frustrà laborârunt, de quibus Cluverius: frustra, inquit, sunt, semperque erunt, qui eum locum pervestigare laborant. quem hanc in rem adduxit Cellarius* lib. 2. c. 3. additque Amagetobricam ... apud Æduos vel apud Sequanos esse quærendam.

Profectò indubitatum est Brunstrutum veterem esse Galliæ seu Sequano-Rauracorum Urbem, quam Cæsar post reportatam de Ariovisto victoriam fecit Romanam, ac munitionibus ornavit, ut propugnaculum esset adversus Germanos seu Alemannos, et quò ultra Rhenum continerentur, simulque sibi Rauracorum regio asseretur. Id ultrò produnt varia monumenta, quæ ibidem adhuc sunt residua: præalta et ingens turris in arce extans, quæ supremum illius propugnaculum erat; rotunda est ex lapidibus intus et foris quadra-

* Sequanorum Regio, cujus Metropolis Vesuntio fuit limites habebat Rhodanum, Rhenum, Ararim seu Seccoanam, et Jurassum montem, qui illam ab Helvetia separabat. Cui Rheno propinquiores erant, Sequano-Rauraci vel Superiores Sequani vocabantur. Cæsar lib. Comment. et Strabo lib. 4.

** Ædui sive Hedui Burgundiæ populi, quorum Metropolis Augustodunum erat.

* Cellarius: Christophorus: celebris criticus an. 1638. Smalcaldæ natus, in variis Protestantium Universitatibus varia docuit, ut Jenæ, Weissenfelsæ, Zitiæ, Merseburgi, ac tandem Halæ Saxonum. obiit an: 1707. Inter alia scripsit Notitiam

orbis antiqui, quae apud eruditos multum celebratur.

tis, cujus muri duodecim pedum crassitudinem superant, vetus utique Romanorum opus. In eâdem Arce mirae altitudinis puteus, cui saxo inimus excellentem continens aquam. Numismata variorum Romanorum Imperatorum effigies referentia, quae interdum ubique effodiuntur. Campus Martius, qui Urbis porta jungitur. Denique, ut cetera taceamus, regio circum hanc Urbem etiam nunc adhuc Romana vocatur, et Incola vulgarem linguam suam Romanam vocitant.

Igitur Brunrutum vetus Amagetobrica Sequanorum Rauracorum Urbs est ab Ariovisto Alemannorum Rege occupata, à Julio Cesare recuperata et munita; ab Alemannis sub Imperatore Constantio devastata, ab Imperatore Theodorico Magno restaurata; ab Attila Hunnorum Rege incensa, et à Carolo Magno recens exaedificata.

Longè post Comitibus Neocomensibus paruit, et an. Chr. 1271. Henricus Episcopus Basileensis illam à suis consanguineis Godefrido Comite Neocomensi emit: huic contractui obstiterunt Dietericus Ferreti, et Reginaldus Montisbelliardi Comites; prior auspicâ 180. marcarum argenti summâ jure suo cessit, alter verò armatâ manu Urbem hanc occupavit, ac retinuit usque ad an. 1283. tum enim Henricus Episcopus cognomento Cinguli Nodus [:Gürtel=Knoop:] Rudolphi Habspurgii Imperatoris armis illam recuperavit; alii id sub ejus Successore Petro Rich de Richenstein, qui an. 1296. vitam posuit, accidisse memorant. Episcopus Joannes de Vienna illam an. 1355. pro 6000. florenis Petro de Cly oppignoravit, at mox reduit. An. 1374. Basileenses, quibus cum eodem Episcopo bellum erat, illam incenderunt. Innerius Episcopus ex Baronibus de Ramstein an. 1385. illam Stephano Comiti Montisbelliardi pro summa 11000. librarum denuò oppignoravit, ac penes ipsius Successores permansit usque ad an. 1461. quo Episcopus Joannes de Venningâ illam redemit, Arcemque restauravit, incaque resedit, et abes tempore sedes facta est Episcoporum Basileensium.

In triginta annorum bello Suecii Urbem hanc frustrà obsederunt civibus fortiter eam defendentibus. Postmodum Galli Arce potiti sunt, Urbem verò Cesarei tenuerunt, denum his recedentibus Galli etiam Urbem occuparunt, et tandem Episcopis restituerunt.

Ante annos graves orta sunt Episcopum Joannem Conradum de Reinach inter et Cives Brunrutanos, qui privilegia sua et immunitates abipso pefundari causa bantur, atque potiorem gentis suae populum in suas traxerunt partes. Lite ad Supremum Imperii Dicasterium Viennam delatâ, subditi causâ cecidderunt, Principique jura sua per definitivam sententiam

asperta fuère; eidem morem gerere ipsis detractantibus, et tàm Helvetiis Pagis, quàm Galliæ Rege, copiis Cæsareis, quæ sententiam hanc excautioni mutuarent ac Principis subditos in ordinem redigerent, transitum per suas terras denegantibus, tùm gallicæ copiæ advocatæ, quæ id prestarent. Sactionis auctores rem in sententiam suam capite cecerunt.

Bruntruti, præter Patres Societatis Jesu, qui, ut dictum in ea habent Collegium, in quo Humaniora, Philosophiam et Theologiam moralem docent, necnon Seminario præsunt, Capuccini habent Cœnobium in montis declivitate arcem inter et Suburbium Situm. Adsunt etiam Ursulinæ et Moniales Ordinis Annuntiatarum: item Brabandii ad S. Michaëlem in Ecclesia parochiali, quæ eo loco extare dicitur, ubi antiquitùs Castrum fuit.

2º Fanum S. Ursicini |: St. Ursitz, ~~St. Ursan~~ Sandrsitz, St. Ursane:| Urbs exigua in valle profunda inter præaltos rupes ad ripam Dubis |: Doux:| fluminis sita duabus leucis Gallicis ad Euronotum à Bruntruto. Originem suam refert acceptam cuidam S. Eremitæ, cui nomen Ursicinus fuit, qui ad hanc incultam horridamque plagam veniens ibidem in Spem resedit, atque oratorium construxit, quod postmodum Benedictinorum Cœnobium factum est, tùm multi fideles horum Monachorum sanctitate illecti penes Monasterium domicilia construxerunt, sicque primùm locus pagus factus est, qui ita postmodum excrevit, ut Urbs evaserit. Tandem Monachi deposito cuculo Canonici facti sunt, qui adhuc numero duodenum ibidem subsistunt. Horum Ecclesia, opus Gothicum, videri meretur.

3º Birseccum |: Birsech:| Arx in rupe sublimi posita Dornacum inter et Mönchstemium |: Mönchsmünster, sen Münchsmünster:| exiguo milliari germanico ad austrum à Basilea. Nomen tribuit ditioni, cui dominatur Præfectus Provincialis |: Landvoigt:| qui in ea residet. Olim ad Comites de Froburg pertinuit, inter quos Ludovicus et Hartmannus ejusfilius illam unacum ditione Lutoldo Episcopo an. 1245. vendiderunt.

4º Sub ea et ad radicem montis occurrit Arleskemium |: Arlesheim:| Vicus loco amoeno et jucundo positus præcipuus hujus Præfecturæ locus. Hius Insula eo ipso tempore, quo Basileenses Calviniani facti sunt, etiam huic Sectæ nomen dederunt, ac per 50. annorum spatium illam tenuerunt scilicet usque ad an. 1585. tùm enim ad Sacra Catholica redierunt.

Ubi anno 1529. Basilea Calvinismum amplexa est, Ecclesia Cathedralis Canonici Friburgum Brisgojæ

Secesserunt, ibique residerunt usque ad an. 1677. quo mense Novembri Urbs hac à Gallis occupata fuit, tunc enim

† recesserunt

iidem Canonici inde huc se Gibique exusâ, quæ Vicum attingebat, Silvâ eo loco Domos et Ecclesiam, quæ ipsis loco Cathedralis, quam Basileenses possident, esset, excitârunt, ubi hodiedum adhuc subsistunt.

5.° Zuringa |: Zwingen :| Arx cum Vico in planitie posita tribus circiter milliaribus ad Austrum à Basileâ. In ea Præfectus Provincialis residet, qui ditioni, quæ ab ea nomen habet, dominatur.

6.° Non procul ab ea Lauphanium seu Lampha

† occurrit

|: Laufen seu Louffen :| Urbs exigua præcipuus Zuringæ Præfecturæ locus, in amœno et fertili agro posita, ubi Birsa |: die Birs, et Luzelta |: Lützel :| confluunt. Valli, in qua sita est, nomen impertitur. Cives ad Basileensium exemplum Sæculo XVI. Zuinglianismum sive Calvinismum amplexi sunt; et an. 1548. Decretum seu Formulam Interim dictam ab Imperatore Carolo V. emanatam acceptare renuerunt. Tandem tamen Catholicam religionem denuò sectati sunt. An 1638. Saxo-Wimarienses illam occupaverunt, et sequenti anno deseruerunt.

7.° Delemontium, sive Delmontium |: Delsberg, ~~Tel Berg~~, Delemont, Delmont, Telemont :| Urbs Salisgaudiæ præcipua. Non adeò magna est sed tamen venusta, cujus plateas rivus perfluit. Situm habet loco amœno ad Birsa et Sorna confluentem Bruntrutum inter et Solodurum, quatuor leuis gallicis ad Eurunotum à Bruntruto et sex ad Caurum à Solodurò. Nomen tribuit valli, cujus Caput est. In ea residet Præfectus, ut vocant, provincialis.

Antiquitùs Urbs hæc Sedes fuit Nobilium, qui ab ipsa cognominati sunt. An. 1393. Episcopus Mönch de Coronia |: Von Landcron :| hujus Urbis Civibus eadem privilegia et immunitates indulsit, quibus Basileenses fruebantur.

In ea sunt Canonici, qui ab Oppido grandis vallis, postquam illius Insulæ ad Sacra Zuingliana accesserant, huc se receperunt, de quibus plura dicemus, ubi de Oppido illo nobis erit sermo. Adsunt etiam Ursulinæ, et extra muros Patres Capucini habent Cœnobium.

Post hujus Sæculi initium Episcopus Joannes Conradus de Reinach, qui ab an. 1705. usque 1737. quo 19. Maji vitam posuit, Ecclesiæ Baleensi præfuit Dele-

montii palatium satis magnificum aedificari curavit.

8.° Bellelagium (: Bellelay, Bellelà :) celebre et opulentum Ordinis Praemonstratensis Coenobium in monte libero (: Im Freyberg, dans la franche Montagne :) situm tribus circiter milliaribus versus Caurum à Monasterio Grandis vallis (: Münster im Granfeld, Moutier en grand Vals :) cui Sisenandus seu Sigenandus, Siginandus, vel, ut quibusdam placet Sigismundus Ecclesiae Collegiatae Monasterii Grandis Vallis Praepositus an. 1136., vel, ut alii volunt, circà an. 1140. dedit initium. Cùm enim, prout narratur, die quadam venando aprum seu porcum feram (: Eine wilde Schweins-Mutter :) per horridam densamque arboribus et dumentis silvam ~~inseguitato~~ insequeretur, adeò profundè in eam penetravit, ut viam, qua egrederetur, quamvis eam integri tridui spatio sollicitè quaesisset, haud invenire valuerit, sed semper ad eum, quem reliquerat locum, redierit; ad has redactus angustias divinam opem imploravit promittens, si Deus illum ad viam, qua egrederetur, reduceret, se eodem loco, quo erat, oratorium in honorem S. Augustini aedificaturum, ~~omisso voto~~ sic voto ~~hinc~~ rectam invenit viam, et domum ~~nunc~~ ~~ha~~ quarto die reversus statim illud solvit, atque ibidem oratorium, prout spoponderat, construi fecit, quod deinde fidelium largitate ac piis eleemosynis in amplum excrevit Monasterium.

Illius primus abbas fuit Gerolduus vir magnae pietatis et scientiarum virtute illustris, qui celebrem Praemonstratensium Ordinem nuper, scilicet an. 1120. à S. Norberto, institutum, in illud introduxit. Ordibinus seu Ortliebus Comes à Froburg Episcopus Basileensis an. 1165. magnificè illud dotavit, adeo, ut alter illius fundator dici meruerit. Plura adhuc praedia illi addidit Humbertus Comes Neoromensis itidem Episcopus Basileensis, qui an. 1403. obiit. Denique Praepositurâ in Comitatu Rhenofeldensi, quae Porta Coeli (: Himmelspforten :) dicitur, à quodam Principe Austriaco auctum fuit.

In Concilio Constantiensi Martinus Papa hujus Coenobii Abbatem pedo pastorali et Mitra necnon Praelati titulo insignivit, et Imperator Sigismundus Monasterium à Saeculari Basileensis Episcopi jurisdictione exemit. Modò Abbas Bellelagiensis inter Episcopatûs Basiliensis Status primam sedem obtinet, eisque praeest. Jura Civitatis gaudet apud

Bernates, Solodurenses, et Biennenses, ac sub praesidio et tutela Pagi Solodurensis degit.

9.o Monasterium in Grandi valle |: Münster im Granfeld, Moutier en grand-Val:| Spectabile Oppidum, ampla Praefectura, quae Grandis Vallis nuncupatur, et quamplures continet vicos, quatuor Leucis Gallicis ad occidentem à Delemontio, ubi illius Praefectus Provincialis qui simul Delemontiana Valli praeest, residet, situm. Nomen accepit à Monasterio Benedictino, quod ei junctum erat. Illud S. Germanus Nobilis civis et Senatoris Basileensis filius circa an. 620. natus, Luxovio, ubi sub disciplinâ S. Waldeberti vitam agebat, accitus consensu et ope Guidonis Grandis Vallis Domini excitavit, eique tanquam Abbas praefuit, ~~quod à Francorum Regibus Pipino, Carolo Magno, Lothario, atque Burgundiae Regibus Rudolpho et Conrado multis privilegiis et praediis ditatum fuit. Conradus illud à manibus quorundam Comitum, qui illud unanum Oppido sibi apposuerant, ejusque reditus inter sese partiti erant, eripuit: ipsius filius Rudolphus III. cognomento Ignavus ultimus Burgundiae Rex illud an. 1000. illud una cum Oppido, et Valle S. Imerii ac S. Ursicino urbe Adelberto II. Basileensi Episcopo et Ecclesiae suae Cathedrali donavit, qui statim illud Collegiatam Ecclesiam fecit, Monachis ad Saeculum traductis et Canonicorum titulo insignitis.~~ Hi tandem saeculo XVI. cùm Oppidi incolae Zwinglianismum amplexi fuissent, excedere compulsi Delemontium se receperunt asportatis secum SS. Germani et Randoaldi reliquiis, quae ibidem in Ecclesiâ parochiali, quo simul Collegiata facta est, supra summum altare collocata fuerunt, atque ibidem adhuc visuntur, et singulis annis recurrente illorum die festo pompâ et apparatu solemni per delectos

4 Caput

Bernates, Solodurenses, et Biennenses, ac sub praesidio et tutela Pagi Solodurensis degit.

9.o Monasterium in Grandi valle |: Münster im Granfeld, Moutier en grand-Val:| Spectabile Oppidum, ampla Praefectura, quae Grandis Vallis nuncupatur, et quamplures continet vicos, quatuor Leucis Gallicis ad occidentem à Delemontio, ubi illius Praefectus Provincialis qui simul Delemontiana Valli praeest, residet, situm. Nomen accepit à Monasterio Benedictino, quod ei junctum erat. Illud S. Germanus Nobilis civis et Senatoris Basileensis filius circa an. 620. natus, Luxovio, ubi sub disciplinâ S. Waldeberti vitam agebat, accitus consensu et ope Guidonis Grandis Vallis Domini excitavit, eique tanquam Abbas praefuit, ~~quod à Francorum Regibus Pipino, Carolo Magno, Lothario, atque Burgundiae Regibus Rudolpho et Conrado multis privilegiis et praediis ditatum fuit. Conradus illud à manibus quorundam Comitum, qui illud unanum Oppido sibi apposuerant, ejusque reditus inter sese partiti erant, eripuit: ipsius filius Rudolphus III. cognomento Ignavus ultimus Burgundiae Rex illud an. 1000. illud una cum Oppido, et Valle S. Imerii ac S. Ursicino urbe Adelberto II. Basileensi Episcopo et Ecclesiae suae Cathedrali donavit, qui statim illud Collegiatam Ecclesiam fecit, Monachis ad Saeculum traductis et Canonicorum titulo insignitis.~~ Hi tandem saeculo XVI. cùm Oppidi incolae Zwinglianismum amplexi fuissent, excedere compulsi Delemontium se receperunt asportatis secum SS. Germani et Randoaldi reliquiis, quae ibidem in Ecclesiâ parochiali, quo simul Collegiata facta est, supra summum altare collocata fuerunt, atque ibidem adhuc visuntur, et singulis annis recurrente illorum die festo pompâ et apparatu solemni per delectos

Sacerdotes in processione deferri solent.

Anno 1271. Rudolphus Habspurgicus, cui cum Henrico Basileensi Episcopo è Comitibus Neocomensibus simultates erant, Monasterium hoc in flammas et cineres abire jussit, et cùm an. 1367. Joannes de Vienna itidem Basileensis Episcopus Biennam, aliàs sibi subditam Helvetiæ urbem, quòd cives sub privilegiorum suorum et juris Civitatis, quo jam ab an. 1352. apud Bernates fruebantur, obtentu, eidem in omnibus ~~[illegible]~~ morem gerere detrectarent, incendisset, vicissim Bernenses et Solodurenses Oppidum hoc in cineres redegerunt. An. 1486. Caspar de Rhein Episcopus jus Civitatis, quod hujus Oppidi et Grandis-Vallis incolæ apud Bernates habebant, probavit, quod deinde annis 1496. 1613. 1632. 1655. 1671. 1689. 1704. 1706. et 1722. renovatum fuit.

Vallem hanc Petra bifariam dividit, siliicet in eam, quæ Supra, et alteram, quæ Infra Petram dicitur. Incolæ à variis Episcopis, præsertim an. 1430. à Joanne de Fleckenstein eximia obtinuerunt privilegia. Partim Catholici sunt partim Zwingliani. An. 1706. Nidavia, et an. 1711. Arberga Bernates inter et Episcopum conventio inita est, vi cujus Catholici Incolæ domicilia sua, quæ Supra Petram habebant deserere, et infra Petram sedere debuerunt, ut sic Zwingliani soli Supra Petram habitantes quiete suis vacare possent.

10°. Petra pertusa |: Prin-Hoo, Pierrepertuis, Pierreport, Pierport, et Periport :| via angusta ingenti et præalta Jurassi montis rupi incisa, quæ pars est hujus montis ramorum, quibus Rauracia ab Helvetiâ separatur, Biennam inter et Delemontium urbes, 3. leucis gallicis versus austrum ab hac et 4. fermè ab illa distans, propè Birsæ fluminis fontes. Rupes hæc Romanorum ætate perforata fuit, atque per ipsius mediæ via excisa, cujus diameter secundum rupis crassitudinem ad 46. pedes geometricos, altitudo autem ad 36. porrigitur, et latitudo tanta est, ut duo currus adversâ fronte per illam commodè possint transire. Id factum ut in hac plagâ à Rauraciâ in Helvetiam, et vicissim, transitus pateret.

Eidem superposita est Inscriptio, quæ duorum Augustorum meminit, è qua temporis edacitas partem exiguam seu litteras quasdam sustulit. Admodum probabile est eam saxo huic incisam fuisse circà annum Christi 238. sub Imperatoribus Balbino et Pupieno. Pupienus Sequanorum Præfectus fuerat, et rupes hæc Præfecturæ suæ terminus erat, ut quæ, prout mox dictum, Helvetios à

Sequano-Raurais distinguebat. Pupienus factus Imperator Semperque Sequanis favens, hanc rupem perfodi et per eam ~~[illegible]~~ in vecturarum commodum et facilitatem emavari viam jussit, quod dum adhuc huic populo praeesset, necessarium judicaverat. Id offuit ministerio Paterni Romanorum in Helvetia Procuratoris simulque Coloniae Helveticae Magistratum gerentis. Quidam arbitrantur id jam sub Antoninis Imperatoribus factum fuisse; at eos hallucinari velinde patet, quod ipsi non simul, sed unus post alterum duntaxat imperarint; enimvero Antoninus cognomento Pius Imperium adiit an. Chr. 138. ac 22. annis, mensibus 6. illud tenuit, ipsius autem Successor Marcus Aurelius Antoninus an. 161. Imperator factus est, ac Imperio praefuit annis 19. ~~[illegible]~~

En ipsam truncatam Inscriptionem, prout hodiedum adhuc extat:

NUMINI AUGUS
TUM
VIA | UCTA PER M
DUI | VUM PATERN
II VII, COL. HELVET

Suppletis, quae desunt, litteris sic eam legi oportet:

NUMINI AUGUSTORUM
VIA DUCTA PER MONTEM
DURVUM PATERNUS
DUUMVIR COLONIÆ HELVETICÆ.

Hic propter loci angustiam et montium asperitatem cum exiguâ militum manu integri exercitus propulsari et reprimi potest impetus, nihilominus Bernates an. 1367. in bello, quod Biennensium gratiâ adversus Episcopum Joannem de Vienna susceperant, locum hunc propugnaculo et praesidio munitum assultu ceperunt, sibique in grandem Vallem viam aperuerunt.

jzo Vallis S. Imerii [: 6.ª Immrvb Thal, la Vallé de St. Imier :] prima ex hac Rauracia parte Helvetiae plaga, quam Petra pertusa ab ibâ separat. Qualis

montibus et rupibus cingitur, et ad Occidentem Dubi fluvio, ad Austrum Comitatûs seu Principatûs Neocomensis parte, ad orientem Biennensi Agro, et ad Septentrionem Juraßi montis ramis, ubi Petra pertusa, claudit. Nomen habet ab oppido, quod S. Immerii dicitur, atque milliari gallico ad orientem à Dubi situm est. Vocatur etiam Arguela ~~olim~~ |: Arguel, Erguel :| ab ejusdem nominis Castro, a dicto oppido in ipsius vallis finibus versùs Principatum Neocomensem milliari germanico ad Austrum positum, quod an. 1283. Henricus IV. Episcopus Basileensis, ordinis S. Francisci Discalceatorum condidit.

Antehac Vallis hæc ad Biennenses pertinuit, sed anno 1610. sub intercessu aliquot Helvetiæ Pagorum Episcopo Basiliensi tradita fuit, ita tamen, ut illius incolæ sub Biennensium vexillis permanerent, ipsique quoad rem bellicam subjecti essent.

Cùm anno 1367. Episcopus Joannes de Vienna Biennam occupasset ac incendisset, Bernates et Solodurenses in hanc eique vicinam vallem irruerunt, omniaque flamma ferróque miscentes damnum Biennensibus foederatis suis ab eo illatum abundè ulti sunt. Bellum hoc Scriptores Malum nuncupant.

Anno 1637. Dux Saxo-Wimariensis in vallem hanc movens Arcem Arguelam occupavit, ejectisque Episcopi Ministris cum Incolis pactus est: at ad instantiam Protestantium Helvetiæ Pagorum an. 1639. ab ea recessit. Incolæ Zwingliana sura sectantur; Præfectus quoque ab Episcopo constitutus ejusdem ipse debet religionis.

13° Bienna, Bipennis, et Petenisca |: Biel, Bienne :| Urbs ad Septentrionalem terminum Lacûs, qui ab ipsa Biennensis dicitur, ~~subrec~~ in planitie, cui collis vinetis satus imminet, et quam Suza fluvius alluit ac ibidem Lacui immergitur, ad confines Pagi Bernensis sita Solodurum inter et Neocomum, ab utroque 5. Lacûs gallicis huic ad Euro-Aquilone-Mesem, illi ad Africum.

Illius origo incerta est; memoriâ tamen proditum est, Imperatorem Rudolphum I. Habspurgicum anno 1275. eidem ipsamet privilegia et immunitates impertivisse, quibus Basilea fruebatur, quæ postmodum Imperatores Adolphus, Henricus VII. et Sigismundus confirmârunt, quæ privilegia tot et tanta sunt, ut Episcopo Basileensi vix subjecta esse videatur. Illius in eam jura hæc duntaxat sunt, Prætorem constituit, qui, ubi de causis criminalibus agitur, Senatui præsidet; nam in causis civilibus urbis Consul præsidet. Mediam tributo-

rum partem, quæ Solidum Imperialem seu, ut vocant, thalerum exedunt; item quædam decimas et alios hujusmodi reditus percipit. Cives ad ipsius tuitionem ei propriis sumtibus militare |: non tamen adversus Conives suos Bernates :| tenentur, sed non ultrà diei iter progredi adstringuntur, quòd si ulteriùs eos movere contingat, id Episcopi sumtibus fieri debet.

Bini in hac Urbe sunt Senatus, Major scilicet, quem 30. Senatores constituunt; et Minor, qui 24. viris constat; quibus adjungitur vexillifer, qui rei militaris, populi, ac speciatim orphanorum curam gerit.

Cives in Sex Tribus distinguuntur, ex quarum unaquaque certus Senatorum numerus assumitur. Jure Civitatis gaudent apud Bernates ab an. 1352. apud Solodurenses ab an. 1382. et apud Friburgenses ab an. 1407. Anno 1367. occasione belli, quod adversus ipsos Episcopus Joannes de Viennâ gessit, fœdus et jus civitatis cum Bernatibus renovârunt. hi ergo eis tulerunt opem et Castrum, quod in ipsorum Urbe habebat Episcopus, demoliti sunt; id non obfuit, quin ipse Urbem incenderit, p.

Cives Zwinglianismum profitentur. Eorum lingua materna est Germanica; ab aliquot tamen sæculis Gallica apud ipsos etiam viget. Habent etiam circum Urbem suam territorium, quod Ager Biennensis vocatur, et cujus Incolæ pariter sunt Zwingliani.

14.° Bonna |: Neustadt, La Bonne Ville :| Urbs exigua sed venusta ad Littus Lacus Biennensis ~~versus~~ meridionale in angusta planitie Lacum inter et Montana tribus milliaribus versùs Septentrionem à Neocomo posita. Ei imminet Castrum Sedes Castellani seu Præfecti ab Episcopo constituti. Cives eximiis gaudent privilegiis. Proprium habent Senatum, Prætorem et Vexilliferum, p. Zwinglianismum profitentur. p.

Subsectio V.

De Comitatu seu Principatu Neocomensi, et Vallangino.

Comitatus seu Principatus Neocomensis et Vallangines |: Die Grafschaft seu das Fürstenthum Neuburg und Vallangin, La Comté seu Principauté de Neufchatel et Vallangin :| limites habet ad Orientem et Meridiem Pagum Bernensem; ad Occidentem Comitatum Burgundiæ, et ad Septentrionem Vallem S. Hymerii et Agrum Biennensem. Longitudo ejus à Septentrione ad Austrum est 15. Leucarum gallicarum,

latitudo autem ab Occidente ad Orientem sex Iuxtaxat hujusmodi leucarum. Aculsa pars est Burgundiæ Transjuranæ, quam Daringiæ Duces possederunt. Prius fuit pars Regni Arelatensis et ex eo erecti Burgundiæ Regni, quorum ad Imperatorem Conradum II. qui ab an. 1024. usque ad an. 1039. quo Ultrajecti vitam posuit, ~~dom~~ ~~[illegible]~~ Imperio prosfuit, devolutus est.

Proprios Comites habuit, ~~Imperii feudatarios~~ Comites Burgundiæ Regum et postea Imperatorum Germanorum Feudatarios, quorum unus Memphis nomine jam an. 815. superfuisse dicitur. Primus tamen Comes Neocomensis, cujus ætatis memoria, fuit Ulricus, qui sub finem Sæculi XII. et initio XIII. in vivis fuit. Filium habuit nomine Bertoldum, cujus heres extitit Rudolphus I. Hi Comites hactenus immediatè sub Imperatoribus Steterunt usque ad Rolinum, qui an. 1288. Comitatum suum Imperatori Rudolpho Habspurgico liberè resignavit, quem ille Joanni Cabillonensi in feudum tradidit, à quo dein' idem Rolinus eundem in Imperii Subfeudum accepit; Rudolphus, qui Rolino in hoc Comitatu successit, eidem Joanni Cabillonensi homagium præstitit; tunc etiam fœminæ, deficientibus masculis, successionis capaces declaratæ fuerunt. Hinc factum, ut succedentibus temporibus et sæculis, etiam postquam Comitatus iste ad Domum Cabillonensem redisset, ad varias familias per fœminarum pervenerit, usque ad an. 1707. quo illius Princeps Maria Aurelianensis de Longa Villa vidua Principis Nemursiensis vitam posuit; tum enim tres hujus Principatûs Status, penes quos est in eo suprema potestas, pro Tribunali Sedentes, præter nihil alios Candidatos, qui permulti erant, pro Rege Borussiæ Sententiam tulerunt, eique Principatum suum addixerunt, ~~qui~~ qui illum ad filium Fridericum modò regnantem transmisit.

Tres, ut diximus, numerantur hujus Principatûs Status, Nobilium scilicet, Castellanorum, et Civium.

Eidem jungitur Comitatus Vallanginus: Die grafschaft Wallangin, la Comté de Vallangin: olim feudum fuit Principatûs Neocomensis, proprioque habuit Comites, tandem post varias Dominorum mutationes Maria Borbonia Leonori Dunois Longavillensis vidua illud sibi emit, atque Principatui Neocomensi adjecit ita, ut ab illo tem-

4 Rum, hi verò ad

[illegible]

Binis in eadem sunt Senatus Major videlicet, quem de Senatoribus constituunt, et Minor, qui ex viginti civibus constat, qui adjungitur Praefecto, et pro publicis negotiis expediendis operam dare debet.

Civitas in hac Tribu dictis Bern, magnam vagam et Senatorum [illegible] habet, quae apud Bernense, ob aurifera. apud Solodurum [illegible] 1532 et apud Friburgenses [illegible] [illegible] quod [illegible] ipsi Episcopo [illegible] Civitatis non Senatibus [illegible] [illegible] quod in ipsorum urbe habitat Episcopus, dominiti habet, &c.

Civitas Zurich [illegible] Germaniae [illegible] est Germanica, ab aliquot tamen annis Gallicum apud ipsos etiam [illegible]. Habet etiam territorium circa urbem [illegible] positum, quod [illegible] [illegible] et [illegible] positum Zurichiana [illegible].

pore ambo unicum Principatum efficiant.

Aër in eo juxta Lacum, qui à Neocomo ipsius Metropoli Neocomensis* dicitur omninò lenis, pinrat, at in montanis paulò asperior est. Tellus juxta varium locorum situm varia etiam est, verum, diligentiâ et impigro labore illam ubique fertilem effecerunt. Sub montibus sunt optima vineta, et agri fecundi. Colles juxta Lacum positi vinetis teguntur, è quibus vinum album et rubrum prodit, prius mediocre est, istud verò optimum. Silva feris abundant. Lacus et Rusa [illegible] excellentes pisces continent. In montanis plures vari lapides et concha in lapides transmutata reperiuntur, quàm ubibi in Helvetia: hujusmodi lapides etiam in flumine Dyon occurrunt. Adsunt etiam ferri, plumbi, marmoris et lapidis fissilis fodinae.

Incolae universim sedulii, laboriosi, ingenio praestantes, et alacres sunt, ita ut magis ad Gallorum quàm Helvetiorum genium facti videantur. Jactantia et

* Lacus Neocomensis seu Neocomus secundùm longitudinem ad septem milliaria porrigitur, ab Ibrduno videlicet usque ad S. Blasium vicum amplum è regione Neocomi et in termino Lacûs versùs Biennam positum: maxima autem latitudo à Neocomo Cuderfinum usque est 2. milliarium duntaxat.

vanitati nonnihil indulgent, undè vulgò Helvetia Vocones |: die Schweitzerisch Gasconier, les Gascons de la Suisse :| appellari solent, quod magis, quibus gaudent, privilegiis adscribitur. Ab anno 1530. omnes Zwingliani sunt seu Calvinismum profitentur praeter Baronetus Landeronensis, quo urbs et aliquot vici continentur, Incolae, qui in Religione Catholicâ constanter permanserunt. Gallicâ linguâ utuntur; plebs communiter vulgatitur idiomate Burgundico simili, quod ex mulierum ore profluens quandam prae se fert amoenitatem.

Olim in hoc Principatu commercium florint, at post interdictum, quod à Rege Galliae circà negotiationem in Burgundiam emanatum est, illud penitus ferè interiit, nec ultra Vaudum et Germaniam Bernensis Pagi regionem porrigitur. Hic notari meruerunt

1°. Neocomum, Neoburgum, Neopyrgum, Novidenolex |: Neuburg, Wolff-Neuburg, Neufchatel, Neuchatel :| Urbs totius Principatûs caput, pulchra et satis ampla, propè Lacum, cui nomen impertit, partim in colle, cujus declivitas rigidissima est, partim in planitie posita est, duobus milliaribus germanicis paulò versùs Africum à Bonnâ. Magnificis cùm publicis tùm privatis aedificiis ornata est. Syon fluvius mediam perfluit, et alternatim suaves efformat cataractas. Ad loco sublimi posita est, adquam per ivo. gradus, quorum aliqui saxo sunt inciti, ascenditur; ad illius latus in area extat vetus Templum à Berthâ Reginâ conjuge Rudolphi II. Burgundiae Regis, quae an. 937. è viris excepit, unacum Arce excitatum. Antehac supra hujus Templi principem portam extabat imago B. V. Mariae in thromo sedentis, at ubi Neocomenses auctore Wilhelmo Farello* an. 1530. Calvinianismum adoptarunt eandem ~~effigiem~~ substituerunt imaginem, Diaboli verò effigiem adejusdem Templi porta latus extantem reliquerunt, quae etiammum adhuc ibidem visitur: inde Catholici ansam sumsêre dicendi, Neocomenses è foribus Templi sui B. V. Mariam amovisse, Diabolum verò reliquisse, ut nempe illius velut praeclara ipsorum ~~auctoris~~ Sectae autoris continuam haberent memoriam, atque in Templum venientes cum deprecari necessa-

* Farellus |: Wilhelmus Vapinii |: qq :| in Delphinatu nobilibus parentibus natus an. 1489. Parisios missus ibidem Philosophiae simulque Graecae et Hebraicae linguae operam dedit.

Post in Sorbona docuit, inde Meldas abejusdem civitatis Episcopo Wilhelmo Briconneto an. 1521. accitus ibidem novae sectae, quam imbiberat, semina sparsit. Inde expulsus Argentoratum, Tigurum, Bernam, Belgardum, denique an. 1529. Neocomum venit, ubi novi Evangelii sui praedicatione cives eò adduxit, ut anno sequenti Religioni Catholicae nuntium remiserint. tandem post varias peregrinationes ultimo gesteram, à qua jambis pulsus fuerat, rediit anno 1564. Calvinum gravitèr decumbentem invisens, indè Metas, undè etiam ejectus jam fuerat, petiit, statimque Neocomum rediens an. 1565. ibidem ad plures abiit.

Inter opera sua, quae admodùm pauca sunt, recensentur: Themata quaedam Basileae Latinè et germanicè edita. Disputatio Bernae habita. Sommaire et declaration Briève et necessaire à tous Chretiens de la Sainte Cene du Seigneur p.

cum Luthero ei dicere: „posset: Sancta Diabole ora pro nobis.

In Templo hoc cernuntur quaedam Sepulchra veterum Comitum et Comitissarum Neocomensium. In illius areae medio ostenditur rudis Lapis, sub quo jacet cadaver Wilhelmi Farelli Civium Apostoli.

In medio Urbis decensu occurit vetus turris ex lapidibus quadratis, quam à Julio Caesare exitatam ferunt; undè aliqui suspicantur Neocomum fuisse Coloniam Equestrem Romanis notam, aliis verò Noridenolex fuisse videtur.

Urbs haec Regi Borussiae velut Principi suo subjecta est: amplis tamen fruitur privilegiis et juribus. Proprium habet regimen, quod Minori et Majori Senatu constat, utrique praesidet Consul. Minorem Senatum componunt 24. viri; hi specialia Urbis negotia curant, atque in eorum Tribunali, cui Regius Praetor praesidet, causae in primâ instantiâ dijudicantur. Ubi autem de re criminali agitur, Senatus quidem fert Sententiam, reservatâ tamen Principi facultate poenam ab dictatam minuendi aut omninò remittendi. In causis civilibus datur provocatio à Senatu ad tres provinciae Ordines seu Status. Major Senatus constat 40. viris; hi et 24. Minoris singulis diebus Lunae cujuslibet mensis conveniunt, ad ordinanda Urbis negotia, p. Quatuor nunc vantur Urbis Consules, qui alternatim singulis sex mensibus imperant. Hi etiam in trium Statuum Tribunali tertium Statum repraesentant.

Anno 1033. Imperator Conradus II. Neocomum obsedit, et penè devastavit. An. 1248. 1268. et 1450. magna incendii damna sensit. An. 1486. foedus perpetuum cum Bernâ pepigit. An. 1579. ingens Cataclysmus ei 50000. coronatorum damnum intulit. An. 1714. magna illius pars denuò in flammas abiit, quo infortunio plusquam 150. familiae ad inopiam redactae fuerunt.

2°. Landeronium |: Landeron, Landron, Landeron :| Urbs exigua caput ejusdem nominis Baronatus, ad Thilam |: Thiel :| fluvium, velut alii placet ad Lacum Biennensem sita 2. milliariis ad Orientem à Neocomo. Ajunt eam ex ruinis Neronicae |: Nerien :| magnae quondam Urbis à Jurasso monte ad Thilam, et à Landeronio Cressiaum |: Cressy :| Vicum usque porrectae exitatam fuisse. In ea linguae germanica et Sabaudica sunt in usu.

Anno 1324. ab Episcopo Basiliensi Gerardo de Wippingen et Bernatibus, quibus cum Comite Neocomensi bellum erat, terrâ vice in captum obsessa fuit. Ei adjuncti sunt quidam Vici, præsertim autem Genianum |: Gesny :| qui unacum ipsa Baronatum seu Castellaniam efficiunt. Incolæ omnes Catholicam religionem profitentur, nec ad Calvinianismum se tradui unquam passi sunt. In Spiritualibus subsunt Episcopo Lausannensi, qui Friburgi Nuithoniæ residet.

3.° Vallanginum, Valenginum |: Vallangin, Valangin, Valengin, Vallengin, et Vallendys :| Oppidum et Caput ejusdem seum nominis Comitatûs, qui, prout jam suprà memoravimus, Comitatui Neocomensi junctus, unacum ipso unum efficit Principatum.

Oppidum istud situm est in angustâ et gibberâ valle inter prealtos montes et Saxa Milliari suprà Neocomum. Veteres Vallangini Comites in eo Arcem habuerunt in rupe positam, cujus pars adhuc superest.

Subsectio VI.
De Republica Genevensi.

Respublica Genevensis |: Jad Genfero Orbiste, La Republique de Geneve :| arctis limitibus coarctatur, nec ultra undecim Parœcias |: Kirchspiele :| continet. Ejus longitudo à Septentrione ad Austrum est 4. milliarium Germanicorum, latitudo ab Occidente ad Orientem totidem. Ei imminent ad Orientem Agri Cabalicus et Fossigniacus; ad Austrum Tractus seu Ducatus Genevensis, qui modò pars est Sabaudiæ, proindè cum ipsâ confundi haud debet; ad Occidentem Rhodanus flumen, et ad Septentrionem Gessia. Hic notatur

1.° Genewa, Gebenna, Genevensium Civitas, Janoba, Januba, Jenoba, Genabum vel Cenabum, Genava, Colonia Allobrogum |: Genf, Geneve :| Civitas olim Episcopalis Caput Reipublicæ, et antehac Ducatûs, qui illius nomine Genevensis |: le Genevois :| dicitur ac Sabaudiæ pars est, ad extremam Lacûs Lemani partem, ubi Rhodanus exeo erumpit, sita. Eadem ac Reipublicæ ipsi sunt limites, ac inter Galliam, Sabaudiam et Helvetiam posita ab omni infestatione tuta quiescit, quod finitimi Principes et Status eam ab uno

illorum opprimi haud patiantur. Vetustissima est, et olim Allobrogum, quos Romani subegerant, urbs fuit.

Ea ætate, quâ Julius Cæsar in Galliis imperabat, Genava spectabilis admodum urbs fuit, quod ipsemet initio suorum Commentariorum testatur; at post illius tempora per 400. et amplius annos nullus historicus aut Scriptor illius meminit, et qui suspicati sunt eam fuisse Coloniam Romanam, illam cum Colonia Equestri confudernt, quæ tamen urbs fuit abeâ distincta, prout liquet ex Itinerario Antonini, in quo Genava 17000. passibus ab Equestri ponitur, et ex Tabula Peutingeri, ubi Genava à Colonia Equestri distinguitur. Porrò permultæ Inscriptiones, quæ hodiedum ibidem adhuc extant, probant Civitatem hanc sub Imperio Romano celebrem fuisse; in unâ earum Insula Genavenses nuncupantur, et antiquitus Genava seu Genava, vel Cenava, item Genaba indiscriminatim scribebatur. In Subscriptionibus Episcoporum Genevensium, qui Ecclesiæ Gallicanæ Conciliis Sæculo VI. celebratis interfuerunt, Genava legitur, ut in Concilio Epaonensi an. 517. sub Sigismundo Burgundiæ Rege celebrato, cui adfuit Maximus Genevensis Antistes. In quinto Aurelianensi an. 549. cui Tranquillinus Presbyter à Pappolo Episcopo missus affuit, in Lugdunensi II. an. 567. et in quarto Parisiensi, quod an. 573. coactum fuit, et cui subscripsit Solonius. In Valentino II. ~~[illegible]~~ an. 584. et in Matisconensi II. quibus interfuit Cariathon Episcopus. Eodem Sæculo nomen istud in Genuam, et Janslam corruptum fuit, prout ex lib. 4. Hist. Gregorii Turonensis patet. Hi post 400. annos vicerunt transpositis litteris Gebennam scripserunt, quod apud Scriptores humilis Latinitatis legitur.

Cùm post mortem Cæsaris Genevæ vicini populi adversus Romanos rebellassent, hæc longè eximium erga ipsos fidelitatis edidit exemplum, undè etiam magnis privilegiis et immunitatibus, speciatim verò Supremos in Lacum Lemanum Dominio premii loco donârunt. Tunc temporis Genevæ fuerunt Magistratus Romani, qui jus dicebant, Judices, Pontifices, Sacerdotes Ethnici, eâque omnia quæ ad politiam et Religionem Romanam pertinebant. Sæculo Ecclesiæ II. Religio Christia-

na ibidem annuntiata fuit et Episcopus constitutus, cumque sub Imperio Marci Aurelii Antonini, qui an. 161. Imperium adiit et 19. annis tenuit, tota in flammas abiisset, ipse eam rursus excitavit, illiusque privilegia confirmavit, necnon Christianis in ea degentibus liberum suae religionis exercitium concessit; tunc, ut verisimile est, ipsa in grati sui erga illum animi testificationem Aureliana dici voluit.

Genova postmodum à Barbaris, qui labente Romano Imperio Regnum, sub Burgundia regni nomine erexerunt, multum afflicta fuit. Historici memorant Carolum Magnum, cùm in Italiam proficisceretur, aliquamdiu Genovae, quae jam tunc Francis parebat, demoratum fuisse, necnon illius et Episcopi privilegia confirmasse. Communis opinio est Totonem et Beltramum, quòdei cum 700. viris in bello Longobardico adfuisent, primos Genevensis Civitatis à ipso creatos fuisse q. Haec dignitas in utrinque successoribus propagata est usque ad an. 887. quo Boso Rex Burgundiae idem Petro, qui à Beltramo trahebat originem, ac ex his Comitibus solus superstes erat, tradidit. q Comites.

Ubi Rudolphus I. an. 888. Octoduri seu Mauritiani in Valesia Burgundiae transjuranae Rex fuit proclamatus, Cives Genevenses ipsi et Successoribus suis parerunt usque ad Rudolphum III. qui Conrado II. Salico Imperatori Regnum hoc suum testamento reliquit, tunc enim Imperii Germanici facta est. Hujus filius Henricus III. cognomento Niger, qui eidem in Imperio Successit, Zaringiae Ducem Burgundiae transjuranae praefecit.

Imperator Fridericus I. cognomento Ahenobarbus, qui an. 1152. Imperium adiit, et usque ad annum 1190. tenuit Arduitio Episcopo Genevensi et ipsius Ecclesiae omnia saecularia jura, nec exceptis iis, quae Imperio competebant, in Civitatem Genevam statim regni sui initio per patentes litteras concessit, sibi suntaxat reservatis honoris juribus, quibus tamen uti non posset, nisi in propriâ personâ Genevam veniret.

Cùm verò Bertholdus IV. Zaringiae Dux potestatem quam in Burgundiam transjuranam habebat, etiam in ipsam Civitatem Genevam extendere cupe-

ret, ab eodem Imperatore Friderico Bullam obtinuit, qua ipse ei supremum dominium in illam tribuebat, quod brevi post Amadaeo II. Sabaudiae Comiti filio Amadaei I. qui anno 1162. è vivis excesserat, cessit: obtinuit Ardutius Episcopus, et hujus donationis revocationem ab eodem Friderico obtinuit, necnon confirmationem illius, quam prius eidem fecerat.

* Sabaudiae Comites ab Henrico VII. Imperatore an. 1310. S. R. I. Principes creati fuerunt in persona Amadaei. et an. 1416. 19. februarii Imperator Sigismundus Sabaudiae Comitatum in Ducatum evenit, datis ad id Camberiaci patentibus litteris. abeo tempore Comites Sabaudiae Ducis titulum assumserunt.

Sic igitur Episcopus solus Civitati dominatus est, non tamen omnino absolutè; enimverò à populo et Clero eligebatur, et post suam electionem jurabat se Civitatis privilegia et immunitates tuturum. Incola regiminis participes erant, publica proclamationes non modò Episcoporum et ipsius Vicedomini, sed et quatuor Civitatis Syndicorum necnon Senatûs nomine fiebant. Hi Syndici unâcum viginti Senatoribus et Thesaurario à Civibus electi Episcopi assessores erant; ubi magni momenti occurrebant negotia, iis adhuc alii adjungebantur. Ita viginti quinque virorum Senatus sub magno decemvirorum virorum ~~[illegible]~~ quemadmodum et adhuc hodie, stabat. Denique Supremum Tribunal omnia familiarum capita componebant. Syndici Civitatis curam gerebant, et causas criminales dijudicabant, exceptis iis, quæ Ecclesiasticos tangebant, ea enim Episcopo et ipsius Tribunali reservata erant. Hic in momenti alicujus rebus sine civium participatione quidquam concludere non poterat. Genava igitur libera Civitas erat, quam Imperatores ipseque Carolus V. an. 1530. semper tanquam Imperialem respexerunt.

Prautis Genevensis comites Ecclesiæ Genevensis Advocati erant, ac Vicedominatum in urbe possidebant tanquam Episcoporum feudum, super quo eisdem homagium prestare tenebantur. at cum ~~[illegible]~~ urbem multùm infestarent, eidem suppetias tulit Amadaeus IV. Sabaudiæ Comes, atque anno 1285. illius Vicedominatum obtinuit; quem tùm ipse quàm successores per ~~[illegible]~~ unum è ministris suis, cui Castellani nomen fuit, administrari curârunt.

Illius successores potentiores facti hunc Vice Dominorum titulum dedignati sunt, illoque Castellanos suos dimittere insignivorunt, reservato tamen sibi hujus officii jure, vi cujus, se aliquando absolutum in Genevam dominium obtenturos sperabant. Verùm quominùs id assequerentur, Episcopi, Cives, et Comites Genevenses Episcoporum feudata-

rii, qui suos habebant fautores, semper obstitêre.
Tandem Saeculo XVI. Carolus III. omnia quaque tentavit, quò Genevam sibi subjiceret. Cujus molitioni remissè duntaxat obstitêre Episcopi, quin imò bini ultimi Joannes à Sabaudiâ, et Petrus de Balma |: de la Baume :| eidem favere visi sunt.

Cives in duas factiones divisi erant: qui pro libertate stabant, à voce Germanicâ Eidgnos |: seu Eidgnots, quae conjuratos, id est, foederatos ad tuendam libertatem sonat, et apud Helvetios pagorum populos erat, et adhuc est in usu, Eignoti |: Eignots :| vocari voluerunt, eosque, qui pro absoluto et supremo dominio erant, ac proindè Duci Sabaudiae favebant, Mammelucos |: Mammelus seu Mamelucus :| dixerunt à voce Arabicâ, quae Mancipium significat. Priores vix non ad extrema redacti à Bernatibus et Friburgensibus Helvetiae pagis opem implorârunt, qui an. 1526. eos non modò jure Civitatis donârunt, sed et cum ipsis foedus pepigerunt. Postmodùm Bernates Carolo bellum indixerunt sub praetextu quòd cives suos et foederatos Genevenses infestaret, ac ei, praeter alias regiones, Vaudum eripuerunt, Genevamque tutam praestârunt. Tum in ea Eignoti |: Eignots :| Mammelucis |: Mammelus :| superiores facti unâ omnes cum Vicedomino seu Castellano, qui in Arce munitâ, cui Insula nomen, residebat, ejecerunt.

Tandem an. 1536. Cives, auctore Wilhelmo Farello, quem an. 1531. Catholicae religionis zelo impulsi urbe expulerant, eadem abjectâ Luthericam seu Calvinianam amplexi sunt. Monachis et Monialibus, nemon Presbyteris Catholicis amandatis, Episcopus et Ecclesiae Cathedralis Canonici Annesium Ducatûs seu Comitatûs Genevensis, cui jam à longo tempore Sabaudiae Duces dominabantur, Metropolim se receperunt, ibique sedem fixerunt.

Tum Friburgenses tanquam fervidi Catholici nihil societatis cum genevensibus utpotè aviae religionis desertoribus ultrò habere voluerunt,

* Nomen hoc deinde in Galliâ propagatum est, eosque ibidem omnes, qui Calvinismum amplexi sunt, insignitis fuêre; quod deinde in Ugnots seu Huguenots detortum fuit, à quo Latini hujus religionis sectatores Ugonotos seu Hugonotos vocavêre, qui prius Sacramentarii dicebantur, vid. quae sup. lib. 2. n. 172. de Hugonotis dixi in not. ~~mar~~ disserimus.

iisque jus civitatis et foedus renuntiaverunt; at contra Bernates eos sibi novo foedere junxerunt: quibus post 40. annos Solodurenses, quamvis et ipsi Catholici, considerantes, quàm momentosa Corpori Helvetico Genava foret, se junxerunt, quò impedirent, ne Sabaudiae Dux, qui continuò consilia agitabat, quibus illâ potiretur, atque jura, quae sibi in eam competebant, reuperaret, quidquam adversùs illam tentare praesumeret. Imò Henricum III. Galliae Regem eò adduxerunt, ut anno 1579. conventione initâ Genevenses perpetuo foederi, quod ipsi cum Corpore Helvetico erat, adjungeret; quin et an. 1589. mense Aprili cum ipsis adversùs Sabaudiae Ducem communem illorum hostem novum foedus pepigit, quod an. 1592. Henricus IV. confirmavit.

Anno 1602. 21. Decembris noctu Sabaudi Genevam scalis admotis occupare tentarunt, verùm à civibus repressi fuerunt desideratis suorum quingentis.

Civitas hac bina Rhodani latera occupat, quibus in binas partes inaequales dividitur. Pars major, quae propriè Genava dicitur, ad sinistram fluminis ripam in declivitate collis sita est, undè antiquitùs ob hunc situm summum Allobrogum regioni adjecta erat. Pars altera, quae à S. Gervasio ipsius Ecclesiae parochialis Patrono, S. Gervasii nomen gestat, ad dexteram ejusdem fluvii ripam, et in veteribus Helvetiae finibus, posita est. Inter has binas hujus civitatis partes Rhodanus bifariam dividitur, ac Insulam efficit 700. pedes longam et 200. latam habitatoribus frequentem. Ambae Civitatis partes duobus sublicius pontibus Insulae, ac proindè sibi invicem junguntur. Magna est, et juxtà suam amplitudinem populosissima. Partim Protestantium deligis, partim commercium quamplurimas exteras familias in eam attraxerunt, ita, ut ultrà 15000. animarum contineat. Incolis veteribus, Italis, qui saeculo XVI. è Venetiis et Lucâ, Gallis antiquis, qui eodem saeculo, et novis, qui nempe post rescissionem Editi Nannetensis à Ludovico XIV. Rege Galliae an. 1685. factam, in illam se receperunt, profugis impletur. Habitationem ipsius peregratam efficiunt coeli clementia, mite regimen, et omnium rerum abundantia, necnon Incolarum comitas saltem eorum, quos opulentia in arrogantiam haud egit praecipites. Magnificis aedificiis cùm publicis tùm privatis, quae tot pa-

latia referunt, est ornata. Inter publica eminet Ecclesia S. Petri olim Cathedralis, ampla et vetus cruis formam exhibens, collem occupat, et eo loco posita est, ubi Romanorum ætate Templum Apollinis extabat. Anno 584. Guntramnus Burgundiæ Rex illam construere cœpit, Otto III. Imperator illius ædificium prosecutus est, ac an. 1025. Conradus II. itidem Imperator absolvit. In navi visitur magnificum Henrici Ducis Rohanii |: de Rohan :| Mausoleum ab ipsius viduâ Margarita de Luby erectum: obiit ipse Koenigsfeldæ an. 1638. ex vulneribus in prælio propè Rhenofeldam acceptis: illius cor ibidem relictum fuit, corpus verò huc delatum, et post annos aliquot ipsamet ejus vidua penes ipsum tumulata fuit. Ibidem etiam extat Sepulchrum Domini de Albiniano |: d'Aubigne :| famosæ Dominæ de Mestenone |: de Maintenon :| avi: item Theodori Bezæ, qui an. 1605. 13. Octobris. 86. annos natus ad plures abiit; et Sacellum Ameliæ Nassoviensis natæ Principis Arausionensis Mauritii Nassoviensis sororis et Emanuelis filii Antonii Lusitaniæ Regis viduæ, quæ anno 1628. huc obiit.

Præter hanc Ecclesiam adhuc duæ alia in Majori Civitate occurrunt una S. Margaritæ, altera S. Gervasii; et in minori, quæ S. Gervasii nomen habet, una ejusdem Sancti nomine insignita. Calvini corpus in cœmeterio Ecclesiæ, quæ Plani Palatii |: de Plain-Palais :| vocatur, quiescit sub lapide sine epitaphio.

Genevæ extat etiam celebris Academia, cujus fundamenta jacta fuêre an. 1536. post abolitam scilicet Religionem Catholicam. Initio omnisi ludus litterarius fuit, qui posteà in Academiam excrevit, in qua Professores Græca et Hebraïcæ linguarum, Philosophiæ, et duo Theologiæ nempe Joannes Calvinus et Theodorus Beza instituti fuêre; hic primus hujus Academiæ Rector fuit: Successu temporis Professores in ea auti fuerunt.

Adulterium Genevæ severè punitur, et mulier hujus criminis convicta, appenso ad collum ingen-

ti lapide ab alto in imum præceps agitur. Media ab urbe leucâ Gallicâ famosus Michaël Servetus Socinianorum parens, qui filium Dei creaturam prædicabat, jussu Calvini igni traditus est, quamvis illum ex S. Scripturâ, quam tamen solam fidei Christianæ regulam constituebat, et ad quam ipse Servetus provocabat, convincere haud valuerit.

Aliquot ab Ecclesia S. Petri passibus extat Basilica civilis magnificum ædificium: illius atrium ornant variæ picturæ cum elegantibus inscriptionibus, item magna copia veterum urnarum, quibus ossa et cineres mortuorum tempore Christianismi includebantur: plerique an. 1639. conditæ fuerunt macum plurimis numismatibus et inscriptionibus, quæ sunt tot veteris Genevensis magnificentiæ monumenta: procul dubio longè adhuc plura hujusmodi superessent, nisi repetita incendia Genevam devastassent. Basilica civili vicinum est armamentarium omni apparatu militari instructissimum. Adest quoque Nosocomium, &c.

Civium quæstum præcipuè efficiunt insignia officina varionum textilium et ferramentorum. adsunt etiam ultrà 300. automarii fabri, qui optima portatilia horologia conficiunt ac vili satis vendunt pretio. Genevæ plebs linguâ Sabaudiâ utitur, qui verò supra plebem evecti sunt, gallicè loquuntur.

2.° Lacus Genevensis (: Genfer-See, le Lac de Geneve :) à Civitate nomen habet, aliàs etiam ab Urbe Lausannâ Lacus Lausannensis nuncupatur. antiqui illum Lacum Lemanum vocârunt à Lemano Baridis filio, qui post bellum Trojanum in hac plagâ Rex fuisse dicitur. Strabo lib. 4. illum Belamonum Lacum seu Limnæum nominat. Piscium dives est, nemon 50. librarum tractas continet, unde et illius piscatura præcipuis Civitatis proventibus annumeratur. Super eum triremes aliquot habent Duce Sabaudiæ et Bernates. Vi conventionis hos inter et illum anno 1564. Lausannæ ratione Vaudi facta per illius medium linea ducta est utrinque partis dominiorum terminus.

Laus istam lunatam exhibet figuram, et à Rhodani in illum illapsu usque ad ipsius effluvium novem justa milliaria Germanica longus est et quatuor civiter latus. Multis venustis Urbibus, Oppidis et Viis cingitur, quorum parte Bernates, et parte Dux Sabaudiæ dominantur; quadam etiam lora ad illius ripam non procul a Rhodani effluvio possidet Rex Galliarum Gessia adjecta.

Prope Genevam in eo prominet saxum in conum desinens et suprema sui parte complanatum, Petra Neptuni (: Pierre Neiton :) dictum, supra quod antiquitus Etruii Incolæ Neptuno victimas offerebant. Ante annos piratores ibidem decerpitam veti sub è Laus extraxerunt. Olim Laus iste Helvetionum et Allobrogum confiniorum fuit.

226

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch Baden-Württemberg
MINISTERIUM FÜR WISSENSCHAFT, FORSCHUNG UND KUNST